DE ARCHIA POETA

ANDEGAVIS, E TYPIS BURDIN AC SOCIORUM, VIA DICTA GARNIER 4,

DE

ARCHIA POETA

THESIM

PROPONEBAT FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

THEODORUS REINACH

LEGUM DOCTOR, LITTERARUM LICENTIATUS.

Disjecti membra poetae.
Hor., *Sat.*, I, iv, 62.

PARISIIS

APUD ERNESTUM LEROUX, BIBLIOPOLAM

28, VIA DICTA BONAPARTE

—

1890

MAGISTRO ET AMICO

HENRICO WEIL

D. D. D.

DE ARCHIA POETA

LIBRI DUO

Disjecti membra poetae.
Hor. *Sat.* I, iv, 62.

LIBER I

DE ARCHIAE VITA.

Hoc libro continentur : (1) procemium; (2) de Archiae patria, natali anno, (3) genere et studiis; (4) de rerum Antiochensium statu; (5) de errabundis illius aetatis poetis; (6) de Archiae per Asiam, Graeciam, (7) Magnam Graeciam itineribus; (8) Archias Romam migrat, (9) a Lucullis excipitur, (10) Lucullum praetorem in Siciliam comitatur, (11) Heracliensis adscriptitius fit, (12) Romam redit, nobiles nanciscitur patronos; (13) civis Romanus e lege Plautia Papiria factus, (14) nomen A. Licinii assumit; (15) cum L. Lucullo quaestore octo annos in Graecia Asiaque versatur; (16) cum eodem Lucullo pro consule Mithridatici belli tertii particeps fit; (17) Romam redux, peregrinitatis a Gratio quodam insimulatur; (18) de lege Papia; juris et facti quaestio explicatur (19); Cicero Archiae patrocinium suscipit; (20) causam ejus apud Q. Ciceronem praetorem orat; (21) de Archiae absolutione ac fine.

I. Saepe mihi reputanti quam lubrica sit et fallax spes haec nostra aeternae memoriae, occurrit Archiae poetae singulare ac prope unicum exemplum, quem immortalem is ipse fecit qui ab eo maxime sibi spoponderat immortalitatem. Scilicet mediocris ingenii poeta, cum forte peregrinitatis reus factus esset, Ciceronis patrocinium, cum aliis meritis, tum potissimum eo sibi conciliavit quod carmen de hujus consulatu scripturum se promiserat; carmen vero nunquam editum est, oratio Ciceronis diem tulit atque etiamnunc in omnium doctorum manibus et

memoria servatur : cui libro quidquid de Archiae vita, ingenio, heroicis carminibus certum comperimus, debere nos profitemur. Ita contigit ut, si minus (utar Taciti verbis[1]) *Ciceronem magnum oratorem Licinius Archias defensus fecit*, saltem Archiam notissimum poetam fecerit Cicero defensor. At quoniam in maximis ingeniis illustrandis, nihil jam nostra curiositas et anxia cupido non requirit, etiam quibus magistris vel familiaribus usi sint, quos invidia vel amore dignos existimaverint, scire gestimus, dandum hoc putavi non periturae M. Tullii famae ut vatis amici fata, mores, indolem, breviter exprimere conarer : quod argumentum, per se quidem levius, magni tamen nominis umbra vel commendabit doctis, vel excusabit.

II. Archias poeta, cui postea A. Licinio nomen fuit, natus est Antiochiae, in regia Syriae urbe[2], anno U. C. circiter 636 : apud Ciceronem enim legimus illum, cum Romam venerit, Mario et Catulo coss., praetextatum adhuc, id est minorem xvii annis, fuisse[3]. Sane num haec ad verbum intelligenda sint nonnulli in dubium vocaverunt : siquidem ipse Cicero alio loco testatur Archiam, antequam scribere, nedum peregrinari, inciperet, jam e pueris excessisse[4]; immo, quo tempore causa ejus dicta est, anno scilicet 692, de Archia tanquam *sene* loquitur[5] : senex vero nemo proprie dicitur nisi qui sexagesimum annum impleverit[6]. Fieri igitur potest ut Cicero causae potius quam veritati consuluerit, sive, cum de initiis Archiae ageret, aliquid annis illius detraxerit quod gloriae adjiceret, sive, cum ad praesentem illius statum venisset, *senem* pro *senescente* reum dixerit, quo melius

1. Tacitus, *Dial. orat.*, 37.
2. Cic., *Pro Archia*, III, 4.
3. *Pro Archia*, III, 5. *Praetextatus* apud Ciceronem etiam alius Graeculus per translationem audit (*In Verrem*, II, xxxiii, 80). Aetatem vero qua praetextam deponebant definit Tubero apud A. Gellium X, 28. Cf. Livium XXII, lvii, 9 : *juniores ab annis XVII et quosdam praetextatos scribunt.*
4. *Pro Archia*, III, 4.
5. *Pro Archia*, III, 5 : *ut domus, quae hujus adolescentiae prima fuerit, eadem esset familiarissima senectuti.*
6. Varro apud Censorinum, *De die natali*, XIV, 2.

judicum moveret miserationem. Quae tamen, ut minimi momenti, jam in medio relinquamus.

III. Nec de genere nostri certius quidquam affirmare ausim. Graecam originem nomen Archiae, studia, sermo diserte testantur; fieri potest ut aliquid Syri sanguinis fuerit immixtum. Nam errabunda hominis vita, mobilis indoles, velox poenitentia, ingenium denique verborum redundantia et imitandi facultate magis quam cura aut propria vi conspicuum, ea omnia insitam Syro generi levitatem propemodo arguere mihi videntur[1]. Traditur loco nobili ortus, sed, ut opinor, nobiliore quam ditiore; quid enim nisi rei familiaris angustia nobilem adolescentem impulisset ut mercenariorum poetarum gregi misceretur? Ceterum, ut mos erat, per omnem honestarum artium cultum transiisse pueritiam fertur; e pueris statim ad scribendi studium se contulit, ita ut mox optimis Antiochiae poetis annumeraretur. Quibus poetis diligentissime studuerit, scripta ejus demonstrant : e veteribus, Homerum maxime coluit; e recentioribus, Leonidam Tarentinum atque Antipatrum Sidonium. Hunc adolescens senem potuit etiam videre; hunc ante alios in epigrammatis scribendis ad imitandum sibi delegit; hujus exemplo accensus vel praeceptis informatus, egregiam extemporalitatis laudem, qua Antipater claruerat, mox ipse consecutus est. Nec temere suspicetur aliquis tali potissimum artificio paene puerum Archiam convertisse in se vulgi favorem et admirationem : praesertim cum pueros etiam XII annis minores hac qualicumque facultate excelluisse lapides testentur[2], eo vero tempore subitaria poesis apud Syros Cilicesque, ut postea apud Arabes, summo in honore fuerit.

IV. Urbs Antiochia, quam Archias ut patriam, ita magistram

1. Cf. Vopiscum, in *Vita Aureliani*, 31 : *Rarum est ut Syri fidem servent, immo difficile.*
2. Cf. sepulcralem inscriptionem pueri Q. Sulpicii Maximi (Kaibel, *Epig. graeca*, n° 618 = *Anth. Pal.* Didot, vol. III, p. 133).

studiorum habuit, inter graecas civitates a regibus in Oriente conditas primum locum, post Seleuciam ad Tigrim et Alexandriam Aegypti, incolarum frequentia et divitiis obtinebat[1], operum publicorum copia[2] et situs amoenitate ceteris etiam antecellebat. Nec deerant, ut in magni regni sede, eruditi homines artiumque incitamenta, inter quae memoratur etiam regia bibliotheca, cui olim praefuerat Euphorion[3]. Exeunte autem altero ante Chr. seculo, vergebat magis ac magis Seleucidarum imperium, hinc Romano, illinc Partho ingruente, undique latronibus, rebellibus, piratis grassantibus. Ipsa regum domus, secum discors, fraternis flagrabat odiis; pro pace et otio, Musarum alimentis, armorum sonitu strepebant urbes, interdum et cruore civium manabant. Vidit Archias, dum puer erat, exorto inter Antiochum Grypum et fratrem Cyzicenum bello, primum occupatam a Cyziceno Antiochiam, dein, verso Marte, ejusdem uxorem Cleopatram ibi obsessam, mox ad deditionem compulsam. Tunc plus quam muliebre facinus regiam urbem inquinavit : nempe regina Tryphaena, Cleopatrae soror, quam Grypus uxorem duxerat, sororem, quae in templum quoddam confugerat, jussit a militibus confodi; qui, cum evellere supplicem non possent, manus praeciderunt quibus amplexa deae simulacrum tenebat[4]. Grypus, iterum pulsus, denique, divisione regni cum fratre facta, Antiochia potitus est; is, licet Athenis educatus[5], vivendi genere Atticum parum redolebat : nihil curare praeter

1. Strabo, XVI, II, 5. Cicero eam *quondam celebrem* dicit (*Pro Archia*, III, 4) quia tum continuitate bellorum multum defloruerat.

2. Audit ἡ καλή apud Athenaeum I, p. 20 B. Cf. insuper Malalam, Chrysostomum, Libanium, et incerti auctoris *Totius orbis descriptionem*, 23 (*Geog. minores*, II, 517).

3. Suidas, v. Εὐφορίων. De alia bibliotheca, vel potius musaeo ab Antiocho Philopatore, ex testamento Maronis Atheniensis, condito, vide Malalam, p. 235, Bonn. Quis fuerit ille Antiochus Philopator nescio, nam in nummis tres Antiochi (IX Cyzicenus, X Pius, XII Dionysus) hoc cognomine interdum distinguuntur, quorum Cyzicenus autem vix paucis mensibus Antiochiam tenuit, ceteri duo, continuis bellis distracti, certe nihil ejusmodi condiderunt. Forte latet aliqua Malalae culpa, qui *Antiochum* pro *Seleuco* scripserit.

4. Justinus, XXXIX, 3 (anno U. C. 643).

5. Appianus, *Syr.*, 68.

conviviorum stolidam magnificentiam [1], aut medicinae difficiles nugas [2].

V. Cum igitur Antiochiae jam nulla esset studiis liberalibus securitas, rarus ingeniis honos, constituit Archias, quam fortunam domi frustra exspectavisset, foris quaerere. Solum mutare Syris hominibus, praesertim doctis, nunquam grave visum : testes Antipater Sidonius, Posidonius Apamensis, Meleager Palaestinensis, Antiochus Ascalonita, mox Publilius Syrus Maniliusque Antiochus et tot alia ejusdem seculi ingenia, quae procul a patria diem supremum obierunt. Ne errabunda quidem vita, quam ἄβιον βίον Leonidas Tarentinus nuncupat [3], isti hominum generi admodum displicet, utpote etiamnunc aliquid vagi a majoribus acceptum retinenti. Ceterum jam eo tempore, in omnibus insulis atque oris Aegaei maris, inveniebantur poetae esurientes et vaguli, ex diversis Graeciae Asiaeque regionibus oriundi, qui, sedibus incertis, prout favor urbium aut feriarum aliqua solemnitas eos sollicitabat, huc illuc ingenium suum et merces poeticas transvehebant. Illorum memoriam decreta lapidibus incisa nonnulla servaverunt, quibus laudantur, exempli gratia, Demoteles Andrius, Amphicles Delius, Ariston Phocaeensis, Dymas Iasensis, Dioscurides Tarsensis, denique Smyrnensis nescio quae poetria, cui Irenae nomen [4]. Qui, ubicumque consistebant, poeticas recitationes et scholas, magno doctorum, magno indoctorum concursu instituere solebant, paeanas, dithyrambos, aliaque deorum religionibus accommodata raptim componere, ipsas urbes vel nobilem aliquem civem, cujus hospitio ornati fuerant, carminibus celebrare. Haec omnia praesenti pretio fiebant, cum aliae urbes προξενίαν vel civitatem, aliae coronas aureas laureasve, nonnullae pecuniam *muneris*

1. Posidonius, fr. 31, 33, 36 Müll.
2. *Theriacam* Antiochi Philometoris (h. e. Grypi), ab Eudemo versibus conscriptam, servavit Galenus, *Antidot.*, II bis, p. 452 (Vide ad calcem *Poetarum bucolicorum*, Did , 2ª pars, p. 93).
3. *Anth. Pal.*, VII, 715.
4. Vide inscriptiones collectas in *Bull. corr. hell.*, XIII, 247.

hospitalis nomine decoratam, largirentur: nec fuerat hoc inusitatum Pindaris vel Simonidibus ; ingenia tantum degeneraverant.

VI. His igitur, ut ita dicam, Musarum institoribus aemulum sese adjunxit Archias. Crederes eum, utpote Syrum et μιξοβάρβαρον, fastidiosis Graeculis, qui sua tantum mirabantur, suspectum evasisse; hanc vero iniquam opinionem potuit verbis Meleagri, popularis sui et aequalis, ita refellere [1] :

Sum Syrus, et quid tum? mundus domus omnibus una,
Unum omnes genuit, frater, inane Chaos.

Utcumque res cecidit, videtur Archias minorem quae dicitur Asiam Graeciamque totam, ingenti ubique favore et plausu exceptus, peragravisse. Quas potissimum urbes inviserit non est traditum ; certe usque Byzantium processisse eum docet epigramma quod optimis ejus carminibus jure annumeratur [2] :

Hoc nautae in scopulo, quem verberat unda, Priapum
Custodem Thracis me posuere freti,
Advenio fautor quia saepe vocantibus illis
Leniter et Zephyrum puppibus admoveo.
Quapropter meriti nunquam nidoris egena est,
Non vacat a vernis floribus ara mihi :
Semper odos atque ignis adest, nam pluris honores,
Quam centena boum colla, dii faciunt.

VII. Jam vero noster, sive novitate captus, seu quia turba competitorum quaestui obstabat, omissa Graecia petebat Italiam. Paulisper eum Magna Graecia detinuit, quae ora inde a Pyrrhi et Hannibalis temporibus continuo defloruerat, et tamen veterum artium disciplinarumque quasi memoriam et simulacrum retinebat. Ibi enim, barbarie jam omnia circum obtinente, Tarentini,

1. *Anth. Pal.*, VII, 417 : Εἰ δὲ Σύρος, τί τὸ θαῦμα; μίαν, ξένε, πατρίδα κόσμον Ναίομεν · ἓν θνατοὺς πάντας ἔτικτε Χάος.

2. *Anth. Pal.*, X, 7 (versionem Grotianam adhibui). Graeca vide infra in *Appendice*, n° 13.

Regini, Neapolitani fere soli graecam linguam, Graecorum mores et instituta tenaciter servabant [1], quanquam Tarentini, C. Gracchi aetate, coloniam romanam receperant [2] quae separatis legibus vixisse videtur. Hi itaque tres populi, antiquitus mimis, feriis, ludis vehementer dediti [3], felicem ingenio αὐτοσχεδιαστήν muneribus et beneficiis cumulaverunt; etiam civitate illum donavisse feruntur [4], quod et Locrenses fecerunt [5]. Pluribus locis ita censeri, ut romano juri alienum, sic Graecis usitatissimum fuisse, exemplis satis superque probatur [6]; aliud tamen est quod dubitationem movet. Fac enim revera Archiam Tarentinorum, Reginorum, Neapolitanorum, Locrensium tabulis adscriptum fuisse (qui omnes inter foederatos populos recensebantur) [7], qui fit ut postea certissimo hoc suo jure uti noluerit et ad solas Heracliensium tabulas confugerit, quas bello sociali combustas nemo erat qui nesciret? Quapropter, vel omnino Ciceroni fides deneganda est, vel potius distinguendum inter plenam veramque civitatem ejusque vanam imaginem. Cum enim Graeculi vilissimum quemque, etiam scenicos artifices, honoris causa in civitatem adsciscere consuevissent [8], credo plerosque ita donatos neque tabulis civium adscriptos fuisse, neque ullius muneris publici fuisse capaces (quod Aristoteles maxime civium esse proprium existimat) [9]. Unde fit ut lege Plautia Papiria, qua mox socii Italici civitatem romanam adepti sunt, soli *adscripti* cives expressis verbis ad hoc jus vocentur : quibus verbis totam hanc turbam semicivium (sit venia voci) a beneficio legis diserte excludi intelligimus.

1. Strabo, VI, I, 2.
2. Velleius Paterculus, I, XV, 4. Cf. Plinium, III, XI, 99; Strabonem, VI, III, 4.
3. Athenaeus, I, p. 4 D; p. 19 F.
4. *Pro Archia*, III, 5.
5. *Pro Archia*, V, 10.
6. Cicero, *Pro Balbo*, XII, 30.
7. Polybius, I, 7 (de Reginis); I, 20 (de Locrensibus et Neapolitanis); Cicero, *Pro Balbo*, VIII, 21; XXIV, 55; Livius multis locis.
8. Aliter judicandum est de Atheniensium consuetudine quam irrisere Aristophanes, Demosthenes, Automedon (*Anth. Pal.*, XI, 319).
9. Aristoteles, *Politic.*, III, I, 4.

VIII. Sed neque Neapolis neque Lacedaemonium Tarentum crescenti gloriae et ambitioni Archiae diu suffecerunt : major delphinus erat quam ut tali patina contineretur [1]. Igitur Magnam Graeciam Latio mutavit, mox domicilium sedemque fortunarum suarum Romam transtulit, anno U. C. 652, C. Mario IV, Q. Lutatio Catulo coss. [2] Neque alienum migrationi tempus Graeculus noster elegerat. His enim annis, inter Gracchanos et Apuleianos tumultus interpositis, alta tranquillitate, quae studiis humanioribus idonea conditio, res publica domi fruebatur. Sane interdum externus timor otia corrumpebat; sed jam de Jugurtha actum, Teutoni eo ipso anno quo Archias Urbem intravit penitus deleti. Adde quod nobilitas, cui res publica administrabatur, in graecas artes et disciplinas magis ac magis ruebat; jamque eo ventum erat ut, cum omnes elegantiae laudem assectarentur, doctis ignari concinerent, graece nescire pudori esset, vix latine scribere decorum. Ergo rhetores, philosophi, grammatici graeci, spretis legibus, paulatim Romam confluere, ubi aures, si minus delicatas, tamen avidas et paratam pecuniam, quae in dies apud reges rarior fiebat, inveniebant. Sane in hac turba eximia ingenia frustra quaesiveris, eo major mediocritati honos. Archiam vero (si Ciceroni credimus) etiam fama sua antecesserat : scilicet Crassus et Catulus, qui magistrum ejus Antipatrum probe cognoverant [3], juvenem poetam nescio an Romam arcessiverint. Certe acceptus hominibus litteratissimis venit, eoque magis quod nullus ante eum graecus poeta, ingenuae quidem conditionis, Urbem assidue incoluerat.

IX. Primi optimatium Luculli hospitio Archiam exceperunt; cujus domus princeps et caput Lucius erat, L. consularis filius, qui eo tempore praetura in Urbe fungebatur et, utroque consule cum exercitu absente, rem publicam quodammodo regebat [4]. Illi

1. Verba sunt Amphicratis rhetoris invitationem Seleucensium detrectantis (Plut., *Luc.*, 22).
2. *Pro Archia*, III, 5
3. Cicero, *De oratore*, III, L, 194.
4. Diod. Sic., XXXVI, 2 : ἕνα τῶν κατὰ πόλιν στρατηγῶν.

Caecilia uxor (femina non talis existimationis qualis Metelli Numidici sororem decuisset [1]) filios duos genuerat, Lucium et Marcum, quorum aetate et fama major Lucius, Archiae fere aequalis, circa annum U. C. 638 natus esse videtur [2]. Crederem nostrum huic nobili fratrum pari, loco sodalis ac praeceptoris, adjunctum fuisse, ut in graecis litteris eos penitus erudiret; quod ei ex sententia successit, nam cum ambo fratres φιλέλληνες et φιλόκαλοι semper fuerint, Lucius etiam, sponsione per jocum facta, belli Italici historiam graeco sermone olim conscripsit, quam vel carmine tractavisset, si fors ita tulisset. In quibus libris barbara quaedam et σόλοικα ideo se dispersisse fatebatur ut probaret eos romani hominis esse [3].

X. Praeceptis et carminibus Archiae merces non diu defuit, siquidem Lucullorum gratia et auctoritate civitatem Heracliensem ea tempestate impetravisse creditur. Ipsa Ciceronis verba afferam, sane subobscura, meditataque, ut videtur, ambiguitate laborantia : *Interim, satis longo intervallo, cum esset cum L. Lucullo in Siciliam profectus et cum ex ea provincia cum eodem Lucullo decederet, venit Heracleam* [4]. De quonam Lucullo ibi agatur, magna inter eruditos quaestio est, cum alii L. patrem, alii L. filium, alii vero, mutata codicum scriptura, Marcum intelligi voluerint. Ego et librorum verbis standum et patrem Lucullorum significari opinor; nam, etsi L. illum Ponticum in Sicilia fuisse non negaverim [5], tamen hoc privatum iter fuit et multo post bellum Italicum inceptum : T. enim Atticum ibi offendit, qui anno demum 689 U. C. Romam ex Athenis remigravit [6]. Jam verba *ex provincia decedere* non nisi de magistratu populi Ro-

1. Plut., *Luc.*, 1 ; Cic., *Verr. Acc.*, IV, LXVI, 147; *Ad Att.*, I, XVI, 9.
2. Consulatum enim anno 680 obtinuit, cujus aetas legitima annus 43us tum erat.
3. Plut., *Luc.*, 1 ; Cic., *Ad Att.*, I, XIX, 10.
4. *Pro Archia*, IV, 6. Fuere qui pro Siciliam *Ciliciam* scribere maluerunt.
5. Cic., *Ad. Att.*, I, XIX, 10 : *non dicam quod tibi, ut opinor, Panhormi Lucullus de suis historiis dixerat...*
6. Nepos, *Atticus*, 4 ad fin.

mani usurpari solent; Lucullorum autem fratrum neuter ante bellum Mithridaticum magistratum ullum obtinuit neque obtinere potuit [1]. Contra L. Lucullus pater, eo potissimum anno quo Archias Romam ingressus est, praetor cum imperio et magno exercitu in Siciliam, ad bellum servile exstinguendum, est missus [2]. Hujus in cohorte praetoria fuisse Archiam, qui res ab eo gestas carminibus illustraret, libenter crederem. Sane obstant verba M. Tullii *satis longo intervallo*; sed haec vel memoriae defectus excusat, vel animus patroni, causae magis quam veritati studentis : scilicet pigebat profiteri Archiam auspiciis et beneficio hominis pessimae notae initium fortunae fecisse.

XI. Ceterum, si Archias revera Iliadem scripturus Siciliam adierat, destituit poetam promissa materies. Nam Lucullus, paucis prospere gestis, in obsidendo oppido Triocalinorum frustra operam perdidit; mox res trahere, vexare socios, denique, comperto C. Servilium, successorem sibi missum, appropinquare, dimissis militibus, aggere combusto, expilatam provinciam stomachabundus reliquit [3]. Verum a Servilio augure repetundarum reus factus, cum ipse Numidicus, cujus sororem duxerat, juvare eum testimonio recusaret [4], exsilio damnationem anteivit [5]. Jam cum in dubio sit quo pacto, quo consilio Lucullus e provincia sua redux Heracleam venerit (oppidum erat Lucaniæ, colonia Tarentinorum, ad flumen Sirin, e Sicilia venientibus procul extra viam positum), haud inepte quidam conjecerunt Heracleam illi non diverticulum, sed exsilium fuisse. Quod eo

1. Lucius quaestor Sullae anno 666 fuit; etiam Marcum Sulla quaestorem habuisse dicitur (Plut., *Luc.*, 37).

2. Diod. Sic., XXXVI, 2; 8. Annus diserte indicatur c. x initio. Siquidem bellum servile quattuor fere annos duravit (ib., 10), cui, primo anno, P. Licinius Nerva (Diod., XXXVI, 3-7), secundo, Lucullus et C. Servilius (ib., 8-9), tertio et quarto, Aquilius praefuit. Ab illo pro consule (anno 654 U. C.) finitum est (Livius, *Ep.*, 69; Obsequens, p. 126 Jahn).

3. Diod. Sic., XXXVI, 2; 8.

4. Cic., *Verr. Acc.*, IV, LXVI, 147.

5. Diod., XXXVI, 8-9; Plut., *Luc.*, 1. Cf. Cic., *Acad.*, II, 1; *De prov. cons.* IX, 22; *De off.*, II, XIV, 50.

verisimilius est quod Heraclienses, anno jam U. C. 475, C. Fabricio consule, perpetuum cum populo Romano foedus inierant, cujus singulares atque aequissimas conditiones non semel auctores laudavere[1] : illo foedere Heracliensibus jus exsilii fuisse concessum, quod et Neapolitani obtinebant[2], minime dubito. Huic igitur optimo jure civitati Archiam, Lucullorum auctoritate, adscriptum ferunt; ipse deinceps M. Lucullus, minor fratrum, rem se egisse profitebatur. Quod fieri potuit; an revera sit factum, aliis decernendum relinquo.

XII. Heracleae paulisper commoratus, Archias non ita multo post (scilicet, ut opinor, Lucullo defuncto) Romam revertitur. Ibi per decem continuos annos Lucullorum juvenum hospitio, ceterorum optimatium familiaritate, donis, beneficiis utitur, inter quos nominatim afferri videmus[3] Q. Metellum Numidicum, Lucullorum avunculum, anno 655 ab exsilio revocatum, mox ejus filium Q. Pium, Q. Lutatium Catulum consularem, filiumque ejusdem nominis, M. Aemilium Scaurum, principem senatus, L. Licinium Crassum, regem judiciorum, denique M. Livium Drusum, celeberrimum pl. tribunum, M. Porcium Catonem, filio Uticensi clarum, Cn. et M. Octavios, L. et Q. Hortensios. Hi aetate multum inter se differentes, dignitate, eloquentia, studiis liberalibus conjuncti erant. Nonnullos etiam poetica facultas copulabat Archiae : nam et Catuli exstant duo amatoria epigrammata[4], et Hortensius, aemulus Ciceronis, iis lusibus indulsisse traditur[5]. Nec solos optimates noster assidue coluit; qui (ut de Cicerone paene puero et Roscio tragoedo sileam) etiam C. Marium, plebeium virum et militarem et a Musis longe aversum, promisso carmine in res ejus Cimbricas sibi

1. Cic., *Pro Balbo*, XXII, 50; *Pro Archia*, IV, 6.
2. Polybius, VI, xiv, 7-8; Livius, XXIX, 21.
3. *Pro Archia*, IV, 6.
4. Gellius, XIX, ix, 14; Cic., *De nat. deor.*, I, xxviii, 79. Cf. Plin., *Ep.*, V, iii, 5.
5. Varro, *De ling. lat.*, VIII, 14 : *Hortensius in poematis*.

conciliavit : adeo neminem tam hebetem invenies quin laudes sui intelligat!

XIII. Sed mox rerum facies et amica litteris quies in pejus mutatae sunt. Anno U. C. 663 exeunte, post Drusi caedem, bellum Italicum exarsit, in quo omnes Magnae Graeciae civitates inconcussam servaverunt fidem. Jam sequentibus consulibus, lata est illa lex Julia qua universum Latium civitate romana donatum est[1]; neque multo post, ad finem ejusdem vel initia proximi anni, tr. pl. M. Plautius Silvanus, C. Papirius Carbo[2], senatu auctore, plebiscitum introduxerunt quo idem jus reliquis Italicis populis permissum est, iis dico qui in fide permansissent vel qui arma statim deponerent. Ipsa hujus legis verba referam, a Cicerone servata, qui solus ejus mentionem facit. Cives igitur fieri jubebat SI QUI FOEDERATIS CIVITATIBUS ADSCRIPTI FUISSENT, SI TUM, CUM LEX FEREBATUR, IN ITALIA DOMICILIUM HABUISSENT, ET SI SEXAGINTA DIEBUS APUD PRAETOREM ESSENT PROFESSI. Erat tunc usu et jure constitutum ut ex foederato populo ne unus quidem civis, nedum universa civitas, nisi consensu hujus de quo agebatur populi in civitatem romanam adscisceretur[3]. Quare lex Julia (nec minus Plautia, quippe quae tantummodo Juliae extendendae causa lata esset) tunc demum plenum ac certum effectum consecuta est postquam unusquisque Italicus populus *fundus* legi, hoc est auctor[4], exstiterat[5]. Sed Etrusci, Umbri, alii quorum iniqua conditio fuerat, statim ac libenter donum civitatis acceperunt[6]; contra Heracleae et Neapoli diu dubitatum

1. Servius Sulpicius apud Gellium, IV, IV, 3 : *id tempus quo civitas universo Latio lege Julia data est.* Neglegentius Cicero leges Juliam et Plautiam confundit, *Pro Balbo*, VIII, 21 : *Julia lege civitas est sociis et Latinis data.*
2. Scol. Bobiensis ad Archianam (p. 353 Orell.) inepte de *coss. Silano et Carbone* hariolatur.
3. Certissimam juris regulam frustra impugnat eoque ipso confirmat Cicero, *Pro Balbo*, VIII, 19.
4. Festus, *Epit.*, p. 89 : *fundus dicitur populus esse rei quam alienat* (mutat), *hoc est auctor.*
5. Cic., *Pro Balbo*, VIII, 21. Cf. Gellium, XVI, XIII, 6 : *neque ulla pop. Rom. lege adstricti nisi in quam populus eorum fundus factus esset.*
6. Appianus, *B. Civ.*, I, 49.

et arduam contentionem fuisse comperimus, cum magna pars in iis civitatibus foederis sui libertatem civitati anteferret [1]. Quibus adhuc cunctantibus (ut opinor) P. Crassus censor Alexam Heracliensem proprio jure tabulis inseruit [2]. Vicit denique romani nominis claritas, et Neapolis Heracleaque ex civitatibus municipia factae sunt. Quod quidem de Neapolitanis diserte traditur [3]; sed idem mox ab Heracliensibus decretum fuisse testatur cum ipsa Ciceronis pro Archia oratio, in qua ea urbs saepe *municipium* vocatur [4], tum legis Juliae municipalis exemplar Heracleae repertum [5]. Ceterum, cum tabularium Heracleae publicum eo tempore fuisset incensum [6], Archias, nemine contra dicente, adscriptum se Heracliensem declarare potuit, et utpote qui jampridem Romae domicilium haberet, apud praetorem Q. Metellum Pium, familiarem suum, profiteri [7].

XIV. Statim hujusce anni censores, P. Licinius Crassus, L. Julius Caesar, novos cives in octo [8] (vel, ut alii tradiderunt, in decem [9]) novas tribus descripserunt, quas tamen brevi postea abrogatas novosque cives veteribus intermixtos fuisse comperimus [10].

1. Cic., *Pro Balbo*, VIII, 21.
2. *Pro Balbo*, XXII, 50. Eodem tempore Cn. Strabo P. Caesium Ravennatem (Cic., *ibid.*), alius nescio quis imperator (non, ut gloriatur Paterculus, *populus romanus*) Minatium Magium Aeculanensen (Vell. Pat., II, 16) viritim cives fecerunt. Quae omnia in globo forsitan plebiscitum permisit vel excusavit.
3. Cic., *Ad fam.*, XIII, xxx, 1 : *L. Manlius est Sosis. Is fuit Catinensis, sed est una cum reliquis Neapolitanis civis romanus factus decurioque Neapoli : erat enim adscriptus in id municipium ante civitatem sociis et Latinis datam.*
4. *Pro Archia*, IV, 8; 10; XII, 31.
5. *C. I. L.*, I, 206.
6. *Pro Archia*, IV, 8.
7. Metelli praetura videtur in annum U. C. 665 cadere, quanquam eum sequente anno Aurelius Victor (*De vir. ill.*, 63) et Appianus (*B. Civ.*, I, 53) *praetorem* vel στρατηγόν appellant; sed haec vox crebro usurpatur ubi *pro praetore* scribi oportebat.
8. Vell. Pat., II, 20.
9. Appianus, *B. Civ.*, I, 49. Scilicet, ut opinor, octo tribubus ex lege Plautia creatis accesserunt duae aliae jam superiore anno ex lege Calpurnia institutae. Cf. Sisennam ap. Nonnium s. v. *senati* (lib. III, fr. 17 Peter) : *L. Calpurnius Piso ex senati consulto duas novas tribus* (rogavit).
10. Liv., *Ep.*, 77; Appian., I, 55. Hoc ex lege Sulpicia factum est, quae mox

Archias autem cuinam tribui adscriptus fuerit nusquam traditur; immo censoribus neque nomen, neque fortunas, ut debebat, detulit. Cur ita fecerit, ego dijudicare nolo, Cicero verborum ambiguitate frustra excusare conatur, cum contendat nullam populi partem anno 665 fuisse censam[1]. Haec utcumque sint, certum est Archiam vel jam tum, vel proximis annis se pro cive romano aperte gessisse; nam et testamentum fecit romanis legibus, et facientibus adfuit, et civium adivit hereditates. Immo pro Archia incepit jam A. Licinius Archias nuncupari[2], gentilicio nomine a Liciniis Lucullis assumpto, quippe quorum beneficio Heracliensem, mox Romanam civitatem esset adeptus; fuit enim hoc peregrinis, sicut libertinis, usitatum[3]. Unde vero *Auli* praenomen noster ceperit, valde incertum, quod fere eodem tempore A. quoque Licinius Aristoteles Melitensis, Ciceronis familiaris, necnon, ut opinor, Lucullorum cliens, elegit[4]. Num credamus hac de causa illud praenomen ambobus Graeculis placuisse quod eadem, qua cognomen utriusque, littera incipiebat? an potius, praeter L. Lucullum, statuamus alium quemdam nostro egregium fautorem exstitisse, cui ut gratiam referret *Aulus* audire voluerit, quemadmodum deinde Dionysius libertus, in honorem M. Ciceronis et T. Pomponii, *M. Pomponius Dionysius* dictus est[5]? Sed istud minus probabile, quandoquidem inter multos Archiae patronos, a Cicerone memoratos, neminem invenimus qui Auli praenomen gesserit. Nam quod quidam conjecerunt, M. Lucullum, Lucii fratrem, proprie *Aulum* fuisse appellatum, quod praenomen *Marco* mutaverit post adoptionem a M. Terentio Varrone factam, id subtilius

abrogata (App., I, 59) deinde rursus renovata est (Liv., 80, 84) et ab ipso Sulla denique confirmata (ib., 86).

1. *Pro Archia*, IV, 11.
2. Quintilianus, X, VII, 19.
3. Cf. Cic., *Ad fam.*, XIII, 36 : *Ei* (scil. Demetrio) *Dolabella rogatu meo civitatem a Caesare impetravit... Itaque nunc P. Cornelius vocatur.* Idem, *Verr. Acc.*, IV, XVII, 37 : *Q. Lutatio Diodoro, qui Q. Catuli beneficio ab L. Sulla civis romanus factus est.*
4. Cic., *Ad fam.*, XIII, 52.
5. Cic., *Ad Atticum*, IV, XV, 1.

excogitatum, sed omni caret fundamento, praesertim cum in universa Lucullorum stirpe *Aulum* praenomen frustra quaesiveris.

XV. Anno U. C. 667, L. Lucullus, quaestor creatus, cum L. Sulla pro consule ad bellum Mithridaticum, quod tum in Graecia gerebatur, profectus est. Hujus in cohorte nonnulli homines literati militavere, P. et C. Selii, Tetrilius Rogus, Antiochus Ascalonita, egregius philosophus [1] ; quibus Archias, solita pro consuetudine, adjungi meruit. Sic igitur noster multas Graeciae et Orientis regiones, quas paene puer jam inviserat, Lucullo duce per octo fere annos iterum lustravit. Nam Lucullus, postquam, velut antecursor Sullani exercitus, Aenianes et Boeotiam primum recepisset [2], aliquanto in Peloponneso pecuniae cudendae operam impendit, mox, media hieme ab imperatore ad classem comparandam missus, Cretam, Cyrenas, Aegyptum, Phoeniciae Ciliciaeque urbes ex ordine adivit, ubique rei publicae commodis magis quam rerum visendarum studio intentus [3] ; Alexandriae tamen dum paulisper moraretur, Antiochum et Heraclitum Tyrium philosophos disputantes sedulo audivit [4]. Secunda hujus belli hieme, Lucullus in insula Cypro stativa habuit ; proximo vere Rhodum petiit, ibique Rhodiorum classe in societatem accepta, plures insulas urbesque Asiatici littoris, Coum, Cnidum, Samum, Chium, Colophonen, vi aut persuasione usus, a regiis praesidiis liberavit. Deinde oppido Pitane, ubi tunc Mithridates obsidebatur, praeternavigato, regiam classem bis fugavit; Sullae, victrices copias e Thracia ducenti, tutum per Hellespontum trajectum praestitit. Pace cum Mithridate facta rebusque per Asiam ordinatis, Sulla ei provinciae Murenam pro praetore imponit, cui pro quaestore adjungit Lucullum. Hic reliquum civilis belli ac Sullanae dictaturae

1. Cic., *Acad. prior.*, II, IV, 11 ; II, 4.
2. Plutarchus, *Sull.*, 11. Vide inscriptionem Aenianum apud Dittenberger, *Sylloge*, n. 256.
3. Plut., *Luc.*, 2.
4. Cic. *Acad.*, *prior.*, II, IV, 11-12.

tempus neque otiose nec sine gloria ibi peregit; anno demum 674 exeunte, ad aedilitatem curulem cum fratre capessendam, Romam, Archia nostro comitante, reversus est [1].

XVI. Proximi anni Lucullo praeturam, provinciam, consulatum continuo attulerunt. Quid Archias hac tempestate gesserit, utrum patronum sit comitatus an Romae manserit, plane ignoramus. Anno autem 681 [2], Lucullo ex consulatu Cilicia provincia ac bellum Mithridaticum obtigerunt, iterumque in ejus cohortem nonnulli Graeci homines, Archias Antiochensis, Antiochus Ascalonita, Eupolemus Calactinus [3], ut de Menedemo cubiculario taceam [4], aggregati sunt. Ex his Antiochus, paulo post proelium ad Tigranocerta consertum, cui ipse interfuisse videtur, in Syria decessit [5]; Archias ad imum duravit et auspiciis ac ductu Luculli ad octavum fere annum

Mores hominum multorum vidit et urbes,

siquidem provincias Asiam, Bithyniam, Galatiam, Pontum, Cappadociam, Armeniam, Mesopotamiam continuis itineribus peragravit, ubi terrestres ac maritimas pugnas, urbium obsidiones ac liberationes, fluviorum montiumque ignotorum transitus, solemnes populorum gratias, fugas regum et legationes, nihil denique, ne militum quidem licentiam ac seditiones, non expertus est, amplam heroico carmini, quod jam tunc nescio an mente conceperit, materiem. Anno 688 ineunte, lex Manilia imperatori invisum successorem, poetae laborum errorumque exoptatum finem attulit. Statim Lucullus in Italiam reversus, xxx diebus quibus rationes rettulerat (sic lex jubebat) Archiam inter ceteros contubernales in beneficiis ad aerarium detulit [6],

1. Plinius, *Hist. nat.*, VIII, vii, 19 (Jan.).
2. De temporibus belli Mithridatici tertii, vide quae disputavi in *Mithridate Eupatore*, p. 320.
3. Cic., *Verr.*, IV, xxii, 49.
4. Plut., *Luc.*, 16.
5. Cic., *Acad. prior.*, II, xix, 61.
6. *Pro Archia*, IV, 11 fin. De xxx diebus, vide *Ad fam.*, V, xx, 7.

cui mercedi soli cives romani admittebantur. Triumphum Luculli inimicorum simultates adeo retardaverunt ut ejus currum Cicero consul demum in Urbem induxerit [1]; eodem anno Archiae carmen in lucem prodiisse credam, quippe quod sequentibus consulibus jam in omnium manibus ac memoria versatum fuisse videatur.

XVII. Itaque Archias, non rei familiaris, non illustrium civium amicitiae indigus, securam senectutem nec sine gloria futuram exspectabat, cum repente orta ex obscuro loco procella quietem ejus penitus conturbavit et poetam nihil tale meritum ex summo fastigio fere ad imum dejecit. Gratius enim quidam (homo alioquin ignotus et, ut videtur, *nervis alienis mobile lignum* [2]) Archiam, ex lege Papia, civitatis non jure occupatae insimulavit. Hanc accusationem non tam ad clientem quam ad patronum ejus spectavisse, mos hujus aetatis suadet ut credamus: in judicium caput Archiae, factum Luculli vocabatur [3]. Quibusnam instigantibus incertum: Lucullum enim ut militaris gloria, ut divitiae, ita invidia atque innumerabilium civium offensio distinguebant, qui populares superbia, milites severitate, equitem innocentia et legibus adversus foeneratores in Asia constitutis, prorsus sibi alienaverat. Cum Pompeio veteres simultates quas, diu obtectas, post legem Maniliam et ereptum Lucullo Mithridatem, ambo erumpere siverant; Pompeii autem ex Oriente nuntiabatur reditus, adventus quotidie exspectabatur.

XVIII. Legitimum accusationis fundamentum suppeditavit lex paucos ante annos, anno U. C. 689, a C. Papio tr. pl. lata, quae peregrinos Romae degentes, quorum ingens multitudo erat, omnes, uno quodam Glaucippo excepto, Urbe ejici jusserat [4]; quae lex

1. Cic., *Acad. prior.*, II, I, 3.
2. Horat., *Sat.*, II, VII, 82.
3. Cp. Cic., *Pro Balbo*, III, 6.
4. Dio Cassius, XXXVII, 7; Cic., *De off.*, III, XI, 47; Schol. Bob. in Archia-

in eos praecipue intendebatur qui se comitiis injuria miscuissent [1]. Similia olim M. Junius Pennus, trib. pl., anno 628, jusserat [2], similia Crassus ac Scaevola consules, anno 659, qui tamen non omnes peregrinos, sed eos tantum qui se pro civibus gessissent, Urbe prohibuerant [3]. Illae quidem leges obsoleverant; nunc Papia, ut recenti memoria, acrius exercebatur; quod non ita multo post, anno U. C. 700, pictor quidam graecus, Gabinii libertus, expertus est, quem hoc judicio damnatum esse comperimus [4]. Archiam se palam pro cive gessisse omnia denuntiabant, neque ipse infitiabatur; quo jure, in ambiguo erat. Natum enim Antiochiae constabat, quam urbem libertate nuper Pompeius, non civitate romana, donaverat [5]; Lucullo autem nulla lege (sicut olim Mario, nunc Pompeio [6]) concessum fuerat ut proprio arbitrio cives faceret. Igitur ad commune jus et testimonia erat recurrendum. Adscriptum se Heracliensem Archias, inde legis Plautiae Papiriae beneficio cum reliquis Heracliensibus civem factum aiebat. Cum tamen notum esset nonnullos, non modo post Plautiam, sed etiam post Papiam legem, in tabulas municipiorum fraude ac pecunia irrepsisse [7], praeterea ne ipsae quidem tabulae Heracliensium, bello scilicet sociali incensae, afferrentur, facile suspicio oriri debuit propter hanc potissimum causam vacuum istud municipium et quasi rem nullius Archiae ejusque patronis placuisse. Sane testes

nam, p. 354 Orell. De Glaucippo excepto refert Cicero, *De lege agraria*, I, iv, 13. Quis ille fuerit nescimus, fortasse rhetor Cappadox de quo Seneca, *Controv.*, p. 412 (Kiessling) mentionem facit.

1. Hi Caesaribus imperitantibus capite plectebantur (Suet., *Claud.*, 15; 25; Arrianus, *Diss. Epict.*, III, xxiv, 42).

2. Cic., *De off.*, III, xi, 47; *Brut.*, XXVIII, 109; Festus, s. v. *Respublica.* — Val. Maximus, pro *Penno*, *Papium* scripsit, III, iv, 5.

3. Cic., *De off.*, loc. cit.; *Pro Cornelio*, fr. 10 (Asconius, p. 67); *Pro Sestio*, XIII, 30 (Schol. Bob., p. 296); *Pro Balbo*, XXI, 48; XXIV, 54; *Brut.*, XVI, 63.

4. Cic., *Ad Att.*, IV, xvi, 2. Eadem lege adversus M. Cassium a Mamertinis actum est (*Pro Balbo*, XXIII, 52).

5. Porphyrius ap. Eusebium, II, 262 (Schœne).

6. Id Mario lex Apuleia (*Pro Balbo*, XXI, 48), Pompeio in Hispania bellum gesturo lex Gellia Cornelia (ib., VIII, 19) permiserat; simile caput lex Manilia aut Gabinia continere debuit, quandoquidem Pompeius in Asia degens Theophanem civem fecit (*Pro Archia*, X, 24; Val. Maximus, VIII, xiv, 3).

7. *Pro Archia*, V, 10.

non deerant : aderant legati Heraclienses, mandato et publico testimonio instructi, aderat ipse M. Lucullus qui se *rem egisse* profitebatur; at Graeculorum ut clientium, Luculli ut patroni suspecta fides, dubium testimonium. Jam id ipsum, quod Archias ex lege Plautia Romae professus esset, solis Metelli praetoris tabulis (ipse biennio ante decesserat) comprobabatur; sed hujus omnis praetorum collegii fidem Gratius non infirmis argumentis impugnabat, quandoquidem Ap. Claudium Pulchrum negligentiae, P. Gabinium Capitonem repetundarum convictum memoraret, Metelli vero sanctitas et anxia diligentia extolleretur potius quam probaretur. Insuper praetorianarum tabularum qualicumque auctoritati, censoriae tabulae, quarum multo major fides ac majestas, opponebantur; in his enim tabulis frustra nomen Archiae, frustra bonorum ejus professionem quaesivisses : ex quo apparebat illum sive, ipsius judicio, nunquam civem fuisse, seu, si fuisset, omisso censu, non modo civitatem, sed etiam libertatem sibi ipsum abjudicavisse [1]. Denique nequidquam contendebatur omnibus his censoribus, qui inde a lege Plautia exstitissent, aut lustrum nullum conditum esse, aut Archiam abfuisse apud exercitum : certe enim Crassus et Caesar censores si minus omnes, at saltem novos cives in suas tribus descripserant; necnon absentes eo tempore plerumque censeri solebant [2], quod inde a P. Scipionis aetate obtinuerat [3].

XIX. Gratii igitur accusatio, quanquam invidiosa et inutilis, fundamento tamen non carebat, immo, ut dicam quae sentiam, vera ac legitima fuisse videtur. Quare Archias, ut in summo discrimine, jam nullam sibi salutem nisi in diserto defensore fore arbitratus, M. Ciceronis patrocinio se suaque commisit. Is tum recens e consulatu, caede Catilinariorum carus nobilitati, etiam absenti Pompeio non omnino ingratus [4], facundia, aucto-

1. Cicero, *Pro Caecina*, XXXIV, 99.
2. Cic., *Ad Atticum*, I, XVIII, 8, fin. : *ne absens censeare curabo edicendum.*
3. A. Gellius, V, XIX, 16.
4. Pompeio certe blandiebatur, quod testatur *Ad fam.*, V, 7.

ritate, fama, oratorum facile princeps et quodammodo rex judiciorum habebatur. M. Tullius, utpote praeter ceteros Graeciae amantissimus[1] et qui mira benignitate poetarum ingenia fovebat[2], hominis graeci, praesertim poetae cujus carminibus maxime delectabatur, causam libenter videbatur suscepturus; accedebat arctissima cum Lucullo conjunctio, cujus ope et consiliis non semel in consulatu suo usum se profitebatur[3]. Etiam Archiam a pueris sibi cognitum, hujus se auspiciis studia poetica aggressum contendebat[4]; quod fieri potuit, etsi, ubicumque de pueritia et studiis suis agit, altum de Archia silentium miramur. Potuit tamen eum apud Crassum oratorem (cujus domum assidue frequentabat) recitantem audire, potuit etiam, cum Arati carmen latine verteret, Archiae judicium et aures in consilium vocare. Sed, ut vetera et incerta omittam, praesens tum Ciceroni et majus aderat incitamentum ut Archiae causam non modo susciperet, sed quasi suam faceret : scilicet viro laudis avidissimo[5] callidus Graecus sponte carmen promiserat in quo res celebraturus erat ab ipso Cicerone (ut Seneca ait) *non sine causa sed sine fine laudatas*[6]. Immo, ut promissis fidem adderet, Archias rem inchoaverat, inchoata Cicero ingenti se voluptate legisse fatebatur. De quo carmine infra nobis dicendum erit ; nunc satis est si monuerim M. Tullium, his versibus allectum, non tam pro Archia quam pro Cicerone verba fecisse.

XX. Vocatus est in jus Archias medio anno U. C. 692, Silano et Murena coss.[7]. Judicia, quae lege Papia exercebantur,

1. *Ad Atticum*, I, 15.
2. Plinius, *Epist.*, III, xv, 1.
3. *Acad. prior.*, II, i, 3.
4. *Pro Archia*, I, 1.
5. *Ad Att.*, I, 15 : *Nunc, quoniam et laudis avidissimi semper fuimus, et praeter ceteros* φιλέλληνες.
6. Seneca, *De brevitate vitae*, 5.
7. Annum litis antea controversum certum fecere scholia Bobiensia (p. 354 Orell.) ex quibus comperimus *lectissimum virum*, a quo « sua in bonam partem fore ut accipiantur » Cicero confidit, ipsum Q. Ciceronem fuisse. Hujus autem praetura in annum 692 incidit (Orosius, VI, vi, 7, etc.). Ex Asia provincia,

penes quaestionem extraordinariam erant, quae tunc, sicut reliquae quaestiones, ex senatoribus, equitibus, aerariis tribunis constabat ; praesidebat autem modo praetor, modo judex quaestionis. Archiae judicium exercuit ipse Q. Cicero, frater oratoris, qui tum praetura fungebatur, egregium reo omen vel potius adjumentum, quandoquidem Quintus et ipse φιλέλλην erat, et carminum amator necnon haud spernendus auctor, tanta scribendi facultate praeditus ut quattuor tragoedias diebus XVI absolveret [1] : igitur αὐτοσχεδιαστὴς αὐτοσχεδιαστήν. Dicta est causa magna contentione, ingenti optimatium et hominum literatorum concursu. Adstabant Archiae clarissimi patroni, Luculli, Metelli, Cato, tr. pleb., cujus sororem L. Lucullus duxerat [2]. Gratius rem paucis videtur absolvisse : Heracliensium testimonium, Archiae professionem in dubium vocavit ; tabulas censorias postulavit ; contendit reum superioribus annis ne ipsius quidem judicio in numero civium fuisse ; denique miratus est cur vir consularis infimi ejusdemque peregrini poetae patrocinium suscipere non dubitavisset. Contra Cicero (ut assueverat quotiescumque causam ambiguam vel suspectam tractaret) breviter de jure, nec fusius de facto disseruit. Rem tanquam certam et minime ancipitem potius narravit quam probavit ; argumenta, quaecumque habebat, obiter et quasi fastidiose protulit : legem Plautiam, auctoritatem Heracliensium, testimonium M. Luculli, Metelli tabulas, denique usum civitatis diuturnum et omnibus perspicuum. Sed in Archia describendo, laudando, extollendo diutius immoratus est. Primum enim maximis eum praesentis vel praeteritae aetatis poetis aequavit, ut sentirent omnes dignum esse talem virum quibuslibet honoribus, immo, si nondum civis Romanus esset, statim civitati adsciscendum. Deinde, velut argumento suo abreptus, omisso Archia, ipsas litteras, ipsa humaniora studia, si qui adhuc obtrectarent [3], acerrime et jucun-

quam per triennium rexerat (Cic., *Ad fam.*, II, XV, 4), ante kal. Mai. 696 discessit (*Ad Att.*, III, IX, 1).

1. Cic., *Ad Q. fratrem*, III, VI, 7.
2. *Pro Archia*, IX, 22.
3. *Acad. prior.*, II, II, 5 : *sunt enim multi qui omnino graecas non ament litteras.*

dissime defendit ; poeticam praesertim facultatem, *sanctos poetas* (ut Ennius dixerat[1]) cantici in modum celebravit, sane novo et in judiciis tunc plane inaudito dicendi genere[2]. Denique ultimum locum attigit quo homines Romanos, vel rudes et impolitos, certius se commoturum confidebat : amorem scilicet patriae. Archiam enim ostendit omne studium atque ingenium ad populum Romanum, duces Romanos, Marium, Lucullum, versibus ornandos contulisse ; quin etiam Cicero, suo more ingenue gloriosus, hoc sibi illum maxime placuisse confitetur quod carmen de ipsius consulatu scribere instituit : quam suam ingentem posteritatis cupidinem illustrissimis exemplis tueri conatur, scilicet Scipionis Africani, D. Bruti, Fulvii Nobilioris, Marii, Sullae, Metelli Pii, denique (mireris advocati solertiam) ipsius Pompeii Magni, a quo nuper Theophanem Mitylenaeum, rerum ejus scriptorem, in militum contione, civitate donatum constabat.

XXI. Exitus causae non expresse traditus est, facile tamen conjicitur. Quinam enim judices tot tantisque rei fautoribus, Q. Ciceroni praesidi, M. Ciceroni advocato non cessissent? Igitur Archiam non tam absolutum, quam per hoc judicium civitati romanae adscitum, statuamus ; quod etiam alio indicio demonstratur. Nam si reus causa cecidisset, statim, secundum legem Papiam, ab Urbe removendus erat ; contra, insequente anno, Archiam secure Romae degisse testatur Ciceronis epistola, mense circiter Maio ad Atticum scripta[3], in qua noster, omisso carmine Tulliano, *Caecilianam fabulam* meditari dicitur. Adeo (ut est Italicis in proverbio) tempestate sedata jam nautae numen non assis faciunt[4]! Exinde de Archia nulla amplius

1. Ennius, fr. 539 (Baehrens). Cf. ipsum Archiam, *Anth. Pal.*, IX, 343, praedicantem : ἱρὸν ἀοιδοπόλων ἔτυμον γένος.

2. Locus est qui incipit : *Saxa et solitudines voci respondent*, etc., Hoc canticum Quintilianus saepe laudat (V, II, 25 ; VIII, III, 75 ; IX, IV, 44 ; XI, I, 34 ; 3, 167), Ausonius imitatus est, *Ep.*, 29, Peiper.

3. *Ad Att.*, I, XVI, 15. Clodius tunc absolutus erat, Quintus profectionem parabat.

4. *Passato il pericolo, gabbato il santo.*

mentio fit, quo magis credam illum non ita multo post, annum circiter sexagesimum natum, decessisse. Verisimile est eum in illa ipsa Lucullorum domo, quae adolescentem foverat, novissimos dies haud injucunde transiisse. Ibi Xerxes ille togatus, L. dico Lucullum, onustus spoliis Orientis, Asiaticam luxuriam graeca comitate et studiis optimis miscebat ; nempe et librorum ingentem copiam et artium miracula undique sibi comparaverat ; bibliothecam autem omnibus Graecis qui Romae vel transeuntes degebant, philosophis, artificibus, grammaticis, poetis, liberaliter aperiebat [1]. Ibi Arcesilaus sculptor [2], ibi Tyrannio grammaticus [3] regali hospitio fruebantur. Felicem Archiam cui in tali (ut ait Plutarchus [4]) prytaneo, post errabundam vitam portus tranquillissimus patuit ; feliciorem adeo si, quod opinor, illustrium patronorum prosperis rebus non fuit superstes, nec vidit insanientem Lucullum, neque exsulantem Ciceronem !

1. Cic., *De fin.*, III, II, 7.
2. Plinius, *Hist. nat.*, XXXVI, XII, 150.
3. Suidas, s. v. Τυραννίων.
4. Plut., *Luc.*, 42.

LIBER II

DE ARCHIAE CARMINIBUS

Hoc libro continentur : (1) De extemporali poesi in universum, et de Romanis (2) et Graecis αὐτοσχεδιασταῖς; (3) de epigrammatis Archiae ; epigramma in Roscium puerum a Cicerone laudatum; (4) de incertis et spuriis Archiae epigrammatis ; (5) de Leonidae Alexandrini carminibus falso Archiae adscriptis; (6) Archiaca epigrammata Antiochensi Archiae partim tribuenda esse demonstrantur; (7) cur ea Meleager et Philippus neglexerint; (8) de inventione et imitatione, (9) de rerum tractatione, (10) de sermonis proprietate, (11) de metrica arte in epigrammatis Archiae; (12) de heroicis Archiae carminibus in universum; (13) de carmine Cimbrico; (14) de carmine Tulliano; (15) de carmine Caeciliano; (16) de carmine Mithridatico; (17) quot libros comprehenderit; (18) prodigia in Plutarchi *Vita Luculli* (19) ex Archiae poemate fluxisse demonstrantur; (20) excusantur Plutarchus et Archias; (21) de Racinio Archiae imitatore; (22) epilogus.

I. De vita et indole Archiae quae mihi cognitu dignissima visa sunt superioribus exposui; nunc, antequam ad ejus carmina, vel servata, vel deperdita, illustranda veniam, primum mihi retractanda videtur extemporalis nostri facultas, quam supra jam leviter attigi. Hanc enim quasi fontem et principium ingenii ejus fuisse arbitror, hanc redolere etiam quae accurate et cogitate scripsisse dicitur. Quod universum genus repentini carminis, magis orienti aut vergenti arti, quam in summum perductae, proprium est. Haud immerito enim Aristoteles censet omnem poeticam ex subitaria poesi originem duxisse[1] : siqui-

1. Aristoteles, *Poet.*, 4 : κατὰ φύσιν δὲ ὄντος ἡμῖν τοῦ μιμεῖσθαι καὶ τῆς ἁρμονίας καὶ τοῦ ῥυθμοῦ... ἐξ ἀρχῆς οἱ πεφυκότες πρὸς αὐτὰ μάλιστα κατὰ μικρὸν προάγοντες ἐγέννησαν τὴν ποίησιν ἐκ τῶν αὐτοσχεδιασμάτων.

dem primis poetis inflammatio quaedam animi pro arte fuit, qui, quidquid dicere tentabant, numeris ac modis etiam inviti exprimebant. Tales fuere apud Graecos veteres ἀοιδοί, Phemii Demodocique, Homero antiquiores; talis apud Italicos fescennina licentia quae alternis versibus *opprobria rustica* fundebat[1]. Adulta vero arte, teretibus auribus et severiori judicio meditata demum et perfecta placuerunt; quare apud Athenienses ne unum quidem celebrem αὐτοσχεδιαστήν video memorari. Romae sane, vel aureis litterarum temporibus, non defuere qui hac facultate gloriarentur, velut Cassius Etruscus[2], Publilius Syrus[3], Remmius Palaemo[4], alii, ut de imperatore Augusto sileam[5]; sed horum plerosque aut docti deriserunt aut meliores ingenii fructus excusaverunt. Jam vero inclinantibus litteris, postquam in locum artis artificium et pro calore exercitatio successit, tunc extemporales ut declamatorum, ita poetarum lusus rursus admirationem movere inceperunt. Solebant hi versus non jam incompositos, sed omnes quasi in eamdem formam conjectos, et memoriam potius quam ingenium arguentes, in circulis exhibere, etiam, posita invicem materia, inter se arctis temporis finibus contendere. Notus est in hoc genere Petronianus ille Eumolpus[6], notus Lucani *Orpheus*[7], nota Statii inanis ubertas[8]; aliorum, eadem facultate praeditorum, quibus Quintilianus alludit[9],

1. Horat., *Epist.*, II, i. 139; Livius, VII, ii, 7.
2. Horat., *Satir.*, I, x, 69-71.
3. Macrobius, *Saturn.*, II, vii, 7.
4. Suetonius, *De ill. gramm.*, 23.
5. Suet., *Aug.*, 98. Similiter Titi imperatoris extemporalitas laudatur Suet., *Tit.*, 3.
6. Petron., 90; 124.
7. *Lucani Vita*, 3: *ex tempore Orphea scriptum in experimentum adversus complures ediderat poetas.*
8. Vide Statii praefaetiones ad librum I *Silvarum* (..*Claudi Etrusci... qui balneolum a me suum intra moram coenae recepit*) et librum III (...*Hercules Surrentinus... quem, statim ut videram, his versibus adoravi*).
9. Quintilianus, *Inst. orat.*, X, vii, 19: *Hanc facilitatem non prosa modo multi sunt consecuti, sed etiam carmine, ut Antipater Sidonius et Licinius Archias; credendum enim Ciceroni est; non quia nostris quoque temporibus non et fecerint quidam hoc et faciant. Quod tamen non ipsum tam probabile puto (neque enin habet aut usum res aut necessitatem)...*

ut opera, ita nomina oblivio sepelivit. Adeo raro tempus iis parcit quae sine tempore fiunt! Interierunt quae Lucilius *stans pede in uno* dictavit [1]; Horatii curiosa felicitas vivit aeternumque vivet.

II. Graecorum qui in hoc genere excelluerint, neminem video commemorari ante Maracum Syracusium, de quo in Aristotelicis *Problematis* mentio obiter injicitur [2]. Hic traditur optimos versus *cum fureret* condidisse, sed neque aetas hominis, neque ingenium satis definitur, et fuerit forsitan potius ultimis ἀοιδοῖς quam primis αὐτοσχεδιασταῖς, qui proprie dicuntur, annumerandus. Altero autem et primo ante Christum seculo, in graecis Phoeniciae, Syriae, Ciliciae urbibus, mirum est quantopere hoc artificiolum increbuerit, ita ut apud Tarsenses tota secta ac disciplina extemporalium poetarum exstitisse videatur. Inter quos maxime laudatur Bio quidam *tragoediarum Tarsensium quae dicuntur* [3] scriptor, mox Boethus Tarsensis, malus et poeta et civis, qui M. Antonii triumviri Philippicam victoriam cecinit et, Strabone teste, insignis habebatur *insita Tarsensibus repentinorum carminum facultate* [4]; fuit denique eodem loco et tempore Diogenes quidam philosophus qui versus plerumque tragicos, quocumque argumento proposito, tanquam Apollinis instinctu concitatus, pronuntiare assueverat [5]. Jam si ad Phoeniciam respexeris, inde oriundus fuit Antipater ille Sidonius, epigrammatum uberrimus conditor et imitator, cujus multa in *Anthologia graeca* carmina exstant. Vixit is medio et exeunte altero ante Chr. seculo [6],

1. Hor., *Sat.*, I, IV, 8-11.
2. Arist., *Prob.*, XXX, 1.
3. Diog., Laert., IV, 58 : ποιητὴς τραγῳδίας τῶν Ταρσικῶν λεγομένων (fuerit hoc quod recentiores Italici *commedia dell' arte* nuncupaverunt).
4. Strab., XIV, v, 14 : ἡ εὐχέρεια ἡ ἐπιπολάζουσα παρὰ τοῖς Ταρσεῦσιν.
5. Strab., XIV, v, 15.
6. Antipatri epitaphium scripsit Meleager Gadarensis (*Anth. Pal.*, VII, 428) quem scholiastes in Cod. Palat., p. 82, testatur circa annum 95 ante Ch. floruisse (ἤκμασεν ἐπὶ Σελεύκου τοῦ ἐσχάτου). Praeterea ambos poetas fere aequales fuisse discimus ex ipsa Meleagri praefatione in qua Antipater dicitur φοίνισσα νέα κύπρος (*Anth. Pal.*, IV, I, 42).

ad ultimam senectutem aetate producta [1]; Crassi oratoris, Q. Catuli, familiaris fuit [2], seu Romam ipse venerit, seu in Macedonia vel Graecia iter facientibus olim occurrerit. Is igitur Antipater solebat (Cicerone teste) *versus hexametros aliosque variis modis atque numeris fundere ex tempore*. Nec minus ob illam praestantiam Archias Antiochensis ab eodem Cicerone celebratur. *Quotiens*, ait [3], *ego hunc vidi*, *cum litteram scripsisset nullam*, *magnum numerum optimorum versuum de iis ipsis rebus*, *quae tum agerentur*, *dicere ex tempore! quotiens revocatum eamdem rem dicere commutatis verbis atque sententiis!* Qua facilitate beatam memoriam, assiduam exercitationem, verborum paratam copiam significari non negaverim; etiam magnum numerum versuum ita condidisse Archiam, Ciceroni credam; an et bonos condiderit, in medio relinquam. Scilicet qui ex tempore versus dicere solent, pauca ex ingenio vel proposita materia, reliqua ex aliorum libris vel praeparatis locis quos usu ac recordatione tenent plerumque depromunt, ita ut humili ac sordidae praesentium rerum descriptione *purpureus unus et alter*, sed is communis, pannus assuatur. Hujusmodi fuisse repentina Archiae carmina eo magis existimaverim quod scripta ejus epigrammata, ut nunc erit demonstrandum, solertem imitatorem, immo verborum et sententiarum alienarum furem, saepissime arguunt.

III. *Epigramma* in principio nihil aliud fuit (quod etiam nomen ejus declarat) quam brevissima elegia sepulcro vel donario inscripta. Humillimo carminis generi Simonides nobilitatem, Alexandrini poetae varietatem adjecerunt, ut cuilibet argumento, quibuslibet affectibus exprimendis idoneum fieret. Hos deinde secuti innumeri poetae, Romana et Byzantina aetate, veterem artem, si non amplificaverunt, attamen retinuerunt.

1. Val. Maximus, I, VIII, 16, ext.; Plin., VII, LI, 172; ambo, ut videtur, ex Cicerone, *De fato*, III, 5. Sed non febri annua, verum lapsu, quem ebrius fecit, correptum Antipatrum testatur Meleager, *Anth. Pal.*, VII, 428.

2. Cic., *De oratore*, III, L, 194 (Tempus dialogi annus est U. C. 663).

3. *Pro Archia*, VIII, 18.

Alii se totos exiguae illi industriae dediderunt, quorum μικροτεχνίαν non inepte aliquis cum gemmis Pyrgotelis et Dioscoridis, vel cum minutissimis et exquisitissimis signis contulerit quae Callicrates aut Myrmecides caelaverunt. Aliis epigramma tantummodo lusus fuit et quasi ingeniia majoribus curis relaxatio : inter quos etiam Archias noster recensendus esse videtur. Praecipuam enim illi famam heroica carmina comparaverunt, epigrammata ejus nemo laudat, vix ab eo ulla scripta fuisse contendere auderem nisi exstaret disertum Ciceronis testimonium, quod exscribere operae pretium duco : *Roscius,* inquit, *cum esset in cunabulis educareturque in Solonio (qui est campus agri Lanuvini), noctu lumine adposito experrecta nutrix animadvertit puerum dormientem circumplicatum serpentis amplexu. Quo adspectu exterrita clamorem sustulit. Pater autem Roscii ad haruspices rettulit qui responderunt nihil illo puero clarius, nihil nobilius fore. Atque hanc speciem Pasiteles*[1] *caelavit argento, et noster expressit Archias versibus*[2]. Pasiteles, qui hic nominatur, sculptor et caelator insignis fuit Ciceronianae aetatis, qui etiam quinque volumina *Nobilium operum* a Plinio adhibita reliquit. Hunc fortasse fatorum quaedam similitudo Archiae conjunxit; natus enim in Magna Graecia erat et cum illius orae oppidis civitate romana donatus est[3]. Certe Archias non separatum carmen de Roscii pueri historiuncula edidit, sed potius, ut mos erat illius aetatis poetis, vas argenteum a Pasitele caelatum, quod hanc speciem exprimebat, longiusculo epigrammate illustravit. Sic olim Plato nobilem Diodori satyrum in phiala caelatum versibus aemulatus est[4].

IV. Unicum hoc Archiae epigramma, a Cicerone memoratum,

1. Libri *Praxiteles*; eumdem errorem exhibet Plinius, XXXVI, 34.
2. Cic., *De divinatione*, I, XXXVI, 79 (de re ipsa cf. II, XXXI, 66). Serpens est draco Lanuvinus, Junoni Sospitae sacer, de quo mentio fit apud Propertium, IV (Müll. V), VIII, 3 sq. ; Aelianum, *Hist. anim.*, XI, 16, et in nummis L. Papii Celsi, L. Roscii Fabati.
3. Plinius, *Hist. nat.*, XXXVI, 39.
4. *Anth. Pal.* (ed. Didot), XVI (Appendix Planudea), 248.

diem non tulit, casus eo magis dolendus quod in **Pasitelis** opere describendo, utpote in novo argumento, nullius veteris poetae vestigia premere potuerit noster, debueritque (ut Horatii verbis utar) sine cortice nare. Cetera nostri epigrammata, quaecumque ad nos pervenerunt, duae servaverunt Anthologiae byzantinae, altera Constantini Cephalae, altera Planudis monachi. In his igitur florilegiis inveniuntur circa quadraginta carmina, Archiae nomen prae se ferentia, quae tamen non ideo omnia Antiochensi nostro adscribenda censuerim. Primum enim secernenda sunt novem carmina in quorum titulis Archiae nomen aliqua notatione sive patriae, sive aetatis, sive professionis distinguitur, qua florilegii auctor obscuriores ὁμωνύμους ab illustriore poeta enucleate discernere voluit : ea sunt Archiae Macedonis [1], Byzantii [2], Mitylenaei [3], Archiae grammatici [4], Archiae junioris [5]. Deinde, inter illa ipsa carmina, in quorum titulis Archiae nomen omni epitheto caret, sunt de quorum auctore etiam antiquitus dubitabatur ; quod testantur ejusmodi inscriptiones : τοῦ αὐτοῦ (scilicet Antipatri Sidonii) οἱ δὲ Ἀρχίου [6], Ἀρχίου οἱ δὲ Παρμενίωνος [7], Ἀσκληπιάδου οἱ δὲ Ἀρχίου [8], Λουκιανοῦ οἱ δὲ Ἀρχίου [9], ἄδηλον οἱ δὲ Ἀρχίου [10]. Haec omnia (licet nonnulla Archiacam indolem satis referant) tanquam incerta ab hac disquisitione sejungam, ne videar e dubiis documentis imaginem hujusce ingenii conflare ; omittam etiam celeberrimum epigramma de agonibus graecis,

1. Ἀρχίου Μακεδόνος. *Anth. Pal.*, VII, 140 (epitaphium Hectoris).
2. Ἀρχίου Βυζαντίου. Ibid., VII, 278 (naufragi in littore sepulti querelae).
3. Ἀρχίου Μιτυληναίου. Ibid., VII, 696 (in Marsyam) ; IX, 19 (de equo laurifero senescente) ; IX, 111 (de Thracum quodam more) ; IX, 339 (de corvo et scorpio).
4. *Anth. Pal.*, VI, 195 (de tuba Micci). Inscriptum est epigramma simpliciter Ἀρχίου sed in scholio ad praecedens epigramma dicitur esse Ἀρχίου γραμματικοῦ.
5. Ἀρχίου νεωτέρου. Ibid., IX, 91 (in Mercurium Corycium) ; X, 10 (Pan nautam alloquitur).
6. *Anth. Pal.*, VII, 165 (epitaphium Prexonis mulieris). Non displicet Archiae inscriptio.
7. *Anth. Pal.*, IX, 27 (in Echo).
8. IX, 64 (in imaginem Hesiodi).
9. *Appendix Planudea*, 154 (de Echo).
10. *Anth. Pal.*, V, 98 (in Venerem).

quod Planudes Archiae tribuit, codex vero Palatinus ἀδέσποτον reliquit [1], Ausonius latinis ita reddidit versibus [2] :

Quattuor antiquos celebravit Achaia ludos :
Caelicolum duo sunt et duo festa hominum.
Sacra Jovis Phoebique Palaemonis Archemorique,
Serta quibus pinus, malus, oliva, apium.

V. Ultima est quaestio de sex epigrammatis, συναγωγῇ cuidam carminum Leonidae Alexandrini permixtis, quae Planudes Archiae, Cephalas ipsi Leonidae tribuit [3]. Et hoc quidem magis probandum, non modo quia vetustioris testis potior est fides, sed etiam propter alias subtilioresque rationes. Leonidas enim poeta, qui circa Neronis et Vespasiani tempora floruit, in plerisque epigrammatis arctissimam legem ἰσοψηφίας (quam se invenisse gloriatur [4]) infelici felicitate observavit; cujus ratio ita se habet. Poeta verba in hunc modum eligit ac disponit, ut, si litteras pro notis numeralibus habeas, utrinque eamdem summam invenias, scilicet in utroque versu si duobus, in utroque disticho si quattuor versibus epigramma continetur. Jam vero ex his de quibus ambigitur carminibus, duo ἰσοψηφίαν ad unguem exhibent, scilicet alterum *de Lysippae puero* [5], Λυσίππης ὁ νεογνός... in quo utrumque distichon summam 7302 efficit, alterum μονοδίστιχον *de uvarum fure* [6], ὁ σταφυλοκλοπίδας Ἑκατώνυμος, cujus uterque versus 4173 valet. Haec igitur duo epigrammata certissime Leonidae reddenda sunt, nec minus confidenter Archiae abjudicaverim istud de milite aegrotante qui sibi mortem ipse consciverat [7], ὃν πόλεμος δεδιὼς οὐκ ὤλεσε, quod

1. *Anth. Pal.*, IX, 357.
2. Ausonius, *Ecl.*, 16 (p. 103, Peiper).
3. *Anth. Pal.*, IX, 345-8, 351, 354.
4. Quid ἰσόψηφοι versus apud Homerum (A. Gell., XIV, 6) sibi velint, parum scio. Alia sunt quae Artemidorus (*Oneiric.*, III, 34; IV, 24) hariolatur, quod genus, litteram ρ' faustam esse quia sit ἰσόψηφος cum verbis ἐπ' ἀγαθά.
5. *Anth. Pal.*, IV, 351. Numeros ipse computavi.
6. IX, 348. Rursus numeros computavi.
7. IX, 354.

expressum est ex carmine Apollonidis [1], Αἴλιος Αὐσονίης στρατιῆς πρόμος, vel Philippi Thessalonicensis [2], Αἴλιος ὁ θρασύχειρ; Apollonides autem et Philippus Augusti ac Tiberii temporibus floruerunt. Quartum epigramma, in hirundinem quae in Medeae imagine nidum aedificaverat [3], αἶαν ὅλην νήσους τε..., rursus congruit cum carmine Philippi Thessalonicensis in eodem argumento ludente [4] : Κολχίδα, τὴν ἐπὶ παισίν... Parem similitudinem exhibent quintum *de bobus navem trahentibus* [5], οὐ μόνον εὐάροτον βόες..., et istud Philippicum [6], ταῦροι πρηϋτένοντες... Quae omnia si diligenter legeris, jam non dubitabis uter utrum imitatus sit; cum vero Philippus Tiberii aequalis fuerit, patet imitatorem ejus non Archiam Antiochensem fuisse. Denique ne sextum quidem epigramma [7], οὐ τόσσον γ' Ἀθάμας... (in Medeam, ut videtur, Timomachi [8]) nostro ut concedam permittit numerorum ratio. Scilicet in genuinis Archiae carminibus (quod mox apparebit) hexametrorum longe major pars post tertium trochaeum dividuntur ; in illo autem tetrasticho epigrammate, ambo hexametri caesuram penthemimeren exhibent. In summa, ex his sex controversis epigrammatis, duo certe Leonidea sunt, quattuor reliqua certe non Archiaca esse demonstravi. An vere Leonidae sint attribuenda, equidem affirmare non ausim, quoniam in eis ἰσοψηφία desideratur; quanquam nec Leonidas omnes suas nugas tam arctis vinculis videtur adstrinxisse [9], necnon vel uno levissimo librarii errore numerorum ratio turbari potuit.

VI. His itaque semotis, supersunt XXI epigrammata, Archiae

1. *Anth. Pal.*, VII, 233.
2. VII, 234.
3. IX, 346.
4. *App. Plan.*, 141.
5. IX, 347.
6. IX, 299.
7. IX, 345.
8. Tritissimum thema videas in *App. Plan.*, 83, 135-140, 143; Auson., *Ep.* 129-30.
9. Videas, exempli gratia, duo certissima Leonidae epigrammata, IX, 355 et 356. Falso igitur scholiastes Palatinus (ad IX, 349) adnotavit ὅτι ΠΑΝΤΑ τὰ ἐπιγράμματα Λεωνίδου ἰσόψηφα.

nomine simpliciter inscripta, quorum duo apud solum Planudem, reliqua in codice Palatino leguntur. Etiam illa omnia (quamvis nihil in iis animadvertatur quod Ciceronis aequalis scribere non potuerit) non pauci critici Archiae nostro abjudicaverunt, sed infirmis, ut mihi videtur, argumentis. Nam quod Archiam suum Cicero exquisitis laudibus exornaverit, epigrammatum vero nullum sit quin mediocre ingenium significet, minimi momenti habendum est. Siquidem Cicero in oratione pro Archia non critici munus, sed defensoris exercuit, potuitque salva religione amicitiae magis quam veritati consulere. Quid quod majora nostri carmina istis lusibus meliora fuerint? quid quod (nisi fallor) optima Archiae quae dicuntur epigrammata heroicum quemdam χαρακτῆρα prae se ferre videntur, unde concludere possis epicum ea scripsisse poetam? Quod genus, quae composuit *In aprum Calydonium, In Herculem Nemeaei leonis victorem*, *In Ajacem Telamonium*, homericis sententiis, verbis, imaginibus prorsus scatent. Accedunt duo alia argumenta quibus maxime rem absolvi confido. Primum enim in Archiacis epigrammatis multa themata ab Antipatro Sidonio vel excogitata, vel occupata, retractari videmus [1], saepe etiam Antipatri sententias, ipsumque verborum ordinem ac nexum exscriptum invenies, ita ut, non sine causa, in uno epigrammate inscribendo compositor florilegii haeserit utrum Antipatri an Archiae nomen inscriberet [2]. Quae mihi arcta conjunctio non tam expilatorem quam discipulum arguere videtur, et qui non ita multo post magistrum sua confecerit. Quis autem non videt hanc definitionem optime in Antiochensem Archiam cadere, quem juniorem Antipatri coaevum fuisse constat, cujusque nomen una cum Antipatro conjunctum memorat Quintilianus [3]? Ecce altero, haud debiliore, argumento res confirmatur : occurrit scilicet inter Archiaca poemata συναγωγή quaedam carminum ubi pervulgata materies, multis antea, multis postea poetis decantata, scilicet *dedicatio trium*

1. *Anth. Pal.*, VI, 16, 179-81, 207 ; IX, 343.
2. VII, 165.
3. *Inst. orat.*, X, VII, 19.

fratrum venatorum, quattuor epigrammatis, verbis tantum, non rebus inter se differentibus variatur [1]. Quis ibi non agnoscat Antiochensem nostrum αὐτοσχεδιαστήν de quo audivimus Ciceronem praedicantem quam saepe *eamdem rem commutatis verbis atque sententiis* dixerit? Ceterum, ne credas hanc inanem facundiam propriam Archiae fuisse, memorabo idem jam fecisse Antipatrum Sidonium, cujus in celebratam Myronis buculam sex epigrammata exstare litterati quidem homines laetantur, nihil vero ad operis cognitionem conferre dolent antiquitatis investigatores [2].

VII. Haec et similia reputanti jam vix dubium erit quin, si minus omnia Archiaca epigrammata, at certe bona pars eorum illi celeberrimo Archiae Antiochensi tribuenda sit; nam neque ego infitiabor fieri posse ut in uno vel altero titulo epitheton *Byzantii* vel *Mitylenaei*, quo olim distinguebatur, casu quodam aut errore librarii exciderit : quod etiam in Antipatrorum, Sidonii dico et Thessalonicensis, carminibus saepenumero accidisse videmus. Objicitur hoc ultimum : Archiacorum quae dicuntur epigrammatum nullum in Meleagri, nullum in Philippi coronam receptum fuisse, quamvis Ciceronianus ille Archias aequalis Meleagri, Philippo aliquanto antiquior fuerit. Illud non eo tantum probatur quod in prooemiis Coronarum Archias nominatim non citatur; potuit enim inter ceteros designari his verbis : ἄλλων τ' ἔρνεα πολλὰ νεόγραφα [3], vel : συνεπιπλεκτοὺς δὲ περισσούς [4]. Adest aliud certiusque argumentum. Scilicet in his veteribus Coronis constat singulorum librorum carmina secundum incipientes litteras digesta fuisse; Byzantii, alium in toto opere disponendo ordinem secuti, particulas tamen quas ex prioribus florilegiis recipiebant, servata vetere successione, suis inseruerunt : quibus vestigiis quasi ansis utentes, viri docti non paucas veterum Co-

1. *Anth. Pal.*, VI, 16; 179-181.
2. IX, 720-4 ; 728.
3. IV, I, *v.* 55.
4. IV, II, *v.* 13.

ronarum lacinias in novis Anthologiis detexerunt; in his vero omnibus ne unum quidem Archiae fragmentum offenditur. Ex hoc tamen nihil aliud certo concludi potest quam Meleagro et Philippo epigrammata Archiae vel parum nota, vel haud magni facta fuisse, Byzantios ex separata qua continebantur sylloge optima quaeque eruisse : quod quidem illorum judicium, horum diligentiam arguit.

VIII. Hactenus de auctoritate et fide Archiacorum epigrammatum; de poeticis eorum meritis ipse lector facile judicabit, quoniam totum corpusculum commentationi huic meae appendendum curavi; hic satis erit pauca et necessaria adnotare. Primo quidem adspectu illa carmina, quamvis numero non multa sint, fertilem inventionem testari videntur, quippe quibus universus artis epigrammaticae campus et varietas comprehendatur : insunt enim sepulcralia, dedicatoria, demonstrativa, amatoria. Quod improba ac lasciva frustra quaesiveris, laudandum; quod mordacia et risum moventia, excusandum, praesertim cum totum hoc genus, quo Catullus et Martialis inclaruerunt, Graecis epigrammatum conditoribus si non ignotum fuit, attamen apud eos mediocrem locum obtinuit. Quod si vero rem proprius inspexeris, fatendum erit Archiam inventione maxime claudicare. Pleraque enim carminum suorum argumenta non ex suo hausit, non res vel affectus praesentes, ut veri poetae solent, sponte expressit, sed e libris fere omnia mutuatus est, nihilque aliud fecit quam tradita a superioribus poetis themata operose recoquere. Sic inter epitaphia ab eo composita non invenies veri sepulcri veram ullam inscriptionem, sed dudum sepulti alicujus viri fictum elogium (scilicet Diogenis cynici, quod praeterea ex Leonida Tarentino cepit [1]) aut jocosam laudationem alicujus ferae vel familiaris bestiolae, cujus generis singulare et lepidissimum exemplar Catulli Passer in omnium memoria est; sed Archias ne in hac quidem exigua

1. *Anth. Pal.*, VII, 68, Archiae ; VII, 67, Leonidae Tarentini.

provincia propriis confidit pennis : modo Pamphili, modo Anytes carmina imitatur et longius circumducit[1]. Neque in dedicationibus major novitas. In hoc epigrammatum genere, sane humili neque ideo invenusto, vere magnus exstitit artifex Leonidas Tarentinus, regis Pyrrhi aequalis, quem non inepte pictoribus qui ῥωπόγραφοι dicuntur[2] aliquis contulerit; hunc Antipater Sidonius saepe imitatus est, Antipatrum Archias. Sic epigramma Σάνδαλα ταῦτα Βίτιννα, in quattuor meretriculas Veneri mundum muliebrem offerentes[3], nihil est nisi variatio carminis Antipatri[4] : Σάνδαλα μὲν τὰ ποδῶν θαλπτήρια ταῦτα Βίτιννα. Ecce aliam tabellam, huic Venereae quodammodo oppositam, quae castas puellas inducit, artis lanificae instrumenta Minervae ponentes[5] : Αἱ τρισσαὶ, Σατύρη τε... Ibi Antipatri quod suspicor exstitisse exemplar interiit; sed, praeter nomina, fere omnia deprompta videntur ex Leonidae epigrammate quod incipit[6] : Αὐτονόμα, Μελίτεια, Βοΐσκιον... Etiam Phintylus piscator Archiacus[7] Diophantum Leonidaeum[8] propemodum refert, quamvis hic Mercurium, ille, ut recentior, Priapum invocet. De tribus fratribus venatoribus jam supra sermo fuit; quam materiam, a Leonida inventam, rursus post Antipatrum quater variavit Archias. Neque hoc satis fuit : recentiores enim poetae iterum atque iterum misellos fratres in scenam prodire coegerunt servanturque in summa XIII epigrammata circum illud thema ludentia[9]. Attamen ultor aderat Lucianus, qui tot poetarum nugas, nauseam tandem moventes, obscoena imitatione perstrinxit, pro tribus scilicet fratribus tres meretrices inducendo, longe diversae venationis praemia Cythe-

1. *Anth. Pal.*, VII, 213 (Archiae) = VII, 201 (Pamphili); VII, 214 (Archiae) = VII, 215 (Anytes).
2. Plinius, *Hist. nat.*, XXXV, 37.
3. *Anth. Pal.*, VI, 207.
4. VI, 206.
5. VI, 39.
6. VI, 289.
7. VI, 192.
8. VI, 4.
9. VI, 11 (Satyrii), 12 (Juliani), 13 (Leonidae), 14 (Antipatri), 15 (ejusdem vel Zosimi), 16, 179-181 (Archiae), 182 (Alexandri Magnetis), 183-5 (Zosimi Thasii), 186 (Julii Dioclis), 187 (Alcaei).

reae ponentes [1]. Ut ad Archiam revertar neu longus sim, possis in ceteris epigrammatum capitibus eamdem sempiternam imitationem agnoscere. Quod Apellis Venerem [2], quod Timomachi Ajacem [3], celeberrimas tabulas, publici juris argumenta, post multos cecinit, sane nostro concedendum, praesertim cum hunc Cyzici, illam in insula Coo potuerit ipse videre. Sed quorsum a Platone furatus est *Boves in jaspide sculptas* [4]? Quorsum ab Antipatro fabulam *De merula ac turdis* [5]? Nec dubitari potest quin hic perpetuus imitator (ne dicam plagiarium), cui semper trita et ficta pro novis ac veris placuerunt, etiam in amatoriis epigrammatis eamdem servaverit regulam, nec magis quibus ureretur amores quam quae lugeret funera cecinerit.

IX. Jam si ab inventione argumenti ad ipsam rerum tractationem transeas, maxime apud Archiam acumen ac brevitas (quae nos in epigrammatis unice delectant) desiderantur. Brevitatem etiam veteribus mire placuisse testantur verba Parmenionis [6]:

Nulla puto Musis epigrammata longa placere,

et Cyrilli, sane modum egressa [7]:

Versibus ex geminis bona sunt epigrammata; quod si
Tres excedis, epos, non epigramma facis.

Contra ex XXI Archiae epigrammatis, fere dimidia pars sex versuum amplitudinem excedunt. Acumen raro noster persequitur,

1. *Anth. Pal.*, VI, 17.
2. *App. Plan.*, 179. Apellis Venerem Augustus demum Romam transtulit (Strab., XIV, p. 657).
3. VII, 147. Timomachi Ajacem Caesar emisse fertur (Plin., VII, 126). Cave ne Plinio credas asseveranti Timomachum Caesaris fuisse aequalem (XXXV, 136); celebres enim ejus tabulas jam Cicero, anno U. C. 684, laudat (*Verr.*, IV, 60, 135).
4. IX, 750 (Archiae) = IX, 747 (Platonis).
5. IX, 343 (Archiae) = IX, 76 (Antipatri).
6. IX, 342.
7. IX, 369.

rarius consequitur. Cui, exempli gratia, non inepta videatur haec clausula epigrammatis in cicadam a formicis confectam[1] :

Non captam miror : piscantum aenigmate captus
Maeonides, princeps carminis, ipse fuit?

Quid enim Homero cum cicada? Ceterum in carminibus aliunde sumptis, ut argumenta, ita sententias ac verba saepe mutuatus est; quae de suo adjecit, rhetorem magis quam poetam sapiunt. Solet quoque sententias ferme idem significantes, plerumque ternas numero, accumulare, ita ut materiem potius extendere quam amplificare videatur. Neque ideo negaverim aliquando illi ingenuam simplicitatem successisse, cujus optimum specimen praebet carmen in Priapum Bosporanum[2], Τοῦδε μὲ κυμοπλῆγος... Interdum etiam assurgit, velut in heroicis epigrammatis de Ajace et apro Calydonio[3] jam supra mihi laudatis. Sed hoc raro; saepius vacuus est ac tumidus, et sesquipedalium vocabulorum inanem sonitum pro amplitudine habet; saepius oratio, epithetis onerata potius quam ornata, rem simplicem immenso verborum circuitu, in aenigmatis modum, enuntiat, veluti cum hamum piscatoris hisce verbis circumscribit[4] :

....γαμψὸν χαίτῃσιν ἐφ' ἱππείῃσι πεδηθὲν
ἄγκιστρον, κρυφίην εἰναλίοισι πάγην.

Quid his doctius, quid ineptius possit excogitari?

X. Superest ut de elocutione ac numeris pauca adjiciam. Nemo Archiae purum atque elegantem sermonem, nemo profluens quiddam et canorum invidebit, quanquam in iterandis vocabulis ac versuum clausulis non semper vitat reprehensionem. Quod genus, in epigrammate disticho *In Amorem*[5], duo pentametri ita desinentes : μηκέτ' ἀφεὶς γλυφίδα et μηκέτ' ἔχοις ἀκίδα,

1. *Anth. Pal.*, VII, 213 ad fin.
2. X, 7.
3. VII, 147; XV, 51.
4. VI, 192.
5. V, 58.

fastidiosa ut sensuum, ita sonorum similitudine aurem offendunt. Nec magis probandi sunt hi versus :

κῦμα πολυψάμμους ὦσε σ' ἐπὶ ψαμάθους [1]...
πότνια, ταῦθ' αἱ σαὶ σοί θέσαν ἐργάτιδες [2]...
μή τινος ἀλλὰ σὺ σῇ πότμον ἕλῃς παλάμῃ [3]...

ut alia ejusdem farinae omittam quae festinantem calamum vel aurem minus purgatam declarant. Verbis compositis, novis, parum usitatis ultra modum utitur, quorum sunt exempla, jam a Suida notata, ἀρπέδων, πολυσπαθής, τριτάνυστος, σκοπιήτης, βιαρκής, δειραχθής [4], quibus addas ἀφρηστής, vocem non antea usurpatam [5], denique Hesychii glossam : ψαυστά · ψαιστά, Ἀρχίας, ex deperdito scilicet vel corrupto carmine. Dialectus ei plerumque epica, interdum, praesertim in bucolicis, dorica [6], quod argumenti ratio postulabat. Passim Homeri, Pindari, Aeschyli laciniae sedulum veterum poetarum lectorem indicant et illustrant quodammodo Ciceronis verba ; *quae accurate cogitateque scripsisset ea sic probari ut ad veterum scriptorum laudem perveniret* [7]. Ejusmodi sunt juncturae verborum ἀγλαὰ δῶρα [8], εἴδωλα καμόντων [9], ἀβάπτιστον φελλόν [10], σπείραμα δράκοντος [11], aliae quas in censum dare longius esset. Nec tamen semper quae mutuatur plane intelligit, quod accidit nostro in versu [12]

νήπι' Ἔρως, πορθεῖς με τὸ κρήγυον.

1. *Anth. Pal.*, VII, 214.
2. VI, 39.
3. VII, 147.
4. VI, 207 ; 39 ; 192 ; 16 ; 179. Sunt haec omnia ἅπαξ εἰρημένα vel saltem quae apud superiores poetas non occurrant, praeter vocem σκοπιήτης quam habent jam Rhianus et Antipater. Alia quae Suidas notavit (χερμαδίον, ἀντίφθογγον, κέρτομος, ἀντῳδός, ἀπροϊδής, etc.), nihil habent memorabile.
5. VII, 214, v. 5.
6. VI, 39, 207 ; VII, 191, 213 ; IX, 750 ; *App. Plan.*, 179.
7. Cic., *Pro Archia*, VIII, 18.
8. VI, 207 = *Il.*, I, 213.
9. VII, 68 = *Od.*, XI, 475.
10. VI, 192 = Pind., *Pyth.*, II, 80.
11. VI, 207 = Aesch., *Choeph.*, 246.
12. V, 58.

Vox enim τὸ κρήγυον, quae ex Iliade fluxit[1], Homero *utile, bonum, faustum*, significat[2], non, ut sibi persuasit Archias, *verum*. Ceterum in eumdem errorem jam Theocritus et Damagetus inciderant[3].

XI. Jam quod ad numeros attinet, omnino desideratur apud Archiam ea varietas modorum quam Cicero in Antipatri extemporalibus lusibus diserte laudat ; noster enim in omnibus argumentis unum idemque metrum, elegiacum scilicet, adhibuit. In eo tractando, veterum poetarum leges ac licentiam secutus est. Ita saepe apud eum syllaba brevis in incipiente pede duabus consonantibus insequentibus, etiamsi altera liquida sit, producitur, velut πρὶν μὲν ἐπὶ χλωροῖς et πολυπλέκτου δὲ φιλαινίς. Hexametrum σπονδειάζοντα, qui alioquin raro in elegiacis offenditur, nunquam Archias admisit. De dactylorum et spondeorum numero ac ratione, iis disserendum relinquo qui capillos quadrifariam dividere laetantur ; aliquanto majus in caesuris momentum. Ex his penthemimeres in pentametro nunquam non servatur, immo tantum valet ut semel hiatum excuset, hoc scilicet loco[4] :

αἰὲν, ὁ δ' ἐν πελάγει εὔστοχον ἄρκυν ἔχοι.

Contra in hexametro caesura κατὰ τριτὸν τροχαῖον Archiae ita placuit ut ex LXIX hexametris vix XIII post penthemimeren dividantur, vel, ut rem secus exprimam, pro 100 masculinis caesuris 430 femineas invenias. Quam rationem nullus elegiacorum attigit, ne Plato quidem aut Callimachus, omnium elegantissimi, quorum alter 330, alter 366 caesuras femineas pro 100 masculinis habet; nam de Antipatro Sidonio omnino silendum, cujus epigrammatis in uno Anthologiae libro diligenter computatis, vix rationem 180 : 100 inveni. Jam ab aliis uotatum est

1. *Il.*, I, 106 : μάντι κακῶν, οὐ πώποτέ μοι τὸ κρήγυον εἶπας.
2. Confer Perictionem Pythagoraeam, ap. Stobaeum, ***Floril.***, LXXIX, 50 (Mullach, ***Fr. philos.***, Did., II, 33 *b*) : πεπνυμένα γὰρ ταῦτα καὶ κρήγυα τοῖσι εὐσεβέσι.
3. Theocr., XX, 19 ; ποιμένες εἴπατέ μοι τὸ κρήγυον. Damag., *Anth. Pal.*, VII, 355 : παρ' οἴνῳ κρήγυος.
4. VI, 181, v. 6,

femineae caesurae usum semper in elegis magis quam in hexametris κατὰ στίχον obtinuisse ; cujus causa in promptu : nam cum versus pentameter natura ex duabus penthemimeribus constet, si hexameter eadem ratione dividatur, pari modulatione usque recurrente, orietur fastidium. Contra si plerique hexametri unum genus caesurae sequantur, pentametri alterum, varietas numerorum disticho leporem addet. Sane haec elegantiae subtilitas Romanos elegiacos et vulgares Graecos poetas qui sua lapidibus inscripserunt omnino fugit; sed eam Alexandrini nunquam neglexerunt, Archias etiam immodice coluit; inest enim femineae caesurae mollities quaedam et languor, qui usu et continuitate taedium movent, Nonnum legentibus nauseam.

XII. Satis superque nobis de epigrammaticis Archiae lusibus dictum est ; nunc ad ea convertimur majora poemata, quibus, dum vivebat, gloria ejus maxime nitebatur. Quattuor fuere numero : Cimbricum, Mithridaticum, Tullianum, Caecilianum. Horum tria vel incepit tantum, vel leviter adumbravit; unum Mithridaticum ad finem perduxit, de quo igitur fusius erit disserendum. Sed antequam singula persequamur, primum in universum signandum et laudandum est consilium quo in eligendis carminum suorum argumentis usus est noster, quippe qui primus, ut videtur, Graecorum graece scribentium Romanas historias, Romanos viros epico carmine illustraverit. Graecorum enim heroica poesis cum antiquitus tota ex fabulis, dis, heroibus penderet, Choerilus Samius, Herodoti familiaris, historicam materiem eamque recentioris memoriae, Persica scilicet bella, ausus est aggredi. Qui deinde Alexandrina aetate in epico genere claruerunt, hi vel ad mythica argumenta reversi doctrina magis quam ingenio ea renovaverunt, vel historica argumenta, sed ea reconditae plerumque antiquitatis, elegerunt, ut Rhianus *Messeniaca*; nonnulli tamen, aulicis favoribus inhiantes, pro veteribus nova, pro sepultis heroibus vivos reges canere instituerunt. Inter quos ante omnes memorandi sunt qui Alexandri Magni facta, longe impares tantae materiei, celebravere, Choerilus junior,

Agis Argivus, Cleon Siculus, Aeschrion[1]; quos secuti Antigonus Carystius regem Antipatrum[2], Simonides Magnes Antiochum Soterem[3], Musaeus et Leschides reges Pergamenos, denique Heraclides Magnes Mithridatem Eupatorem, Theodorus reginam Cleopatram carminibus decoraverunt. Illorum igitur artem quando Archias Romam transferre excogitavit, eo acceptior Romanis fuit quod apud illud, ut ita dicam, jejunum hominum genus, historica, immo annalis poesis semper in honore fuit, Romani autem duces poeticarum laudum semper avidissimi exstiterunt: quod utrumque satis testantur Ennii, Hostii, Accii, aliorum celeberrima carmina. Sullanis vero temporibus, Romanorum epica poesis adeo jacebat ut jam ad Hispanos poetas[4] et *hordearios rhetores*[5] Metellis et Mariis esset confugiendum. His carminum fabricatoribus Archiae facilis et grandiloqua Musa mox caliginem obduxit. Sermonis vero peregrinitas tantum abfuit ut inceptis ejus noceret, ut contra nihil eum magis ambitiosissimo cuique commendaret ; scilicet, ut ait Cicero, *graeca tum legebantur in omnibus fere gentibus, latina suis finibus, exiguis sane, continebantur*[6].

XIII. De primo Archiae carmine, scilicet Cimbrico, ex Ciceronis oratione haec tantum comperimus : *Res Cimbricas adulescens attigit et ipsi illi C. Mario, qui durior ad haec studia videbatur, jucundus fuit*[7]. Illud quo modo fieri potuerit non satis intelligo, si revera, ut traditum est, Marius sermonis graeci prorsus ignarus fuerit[8]. Ceterum idem argumentum latino carmine inchoavit vel tractaturum se promisit L. Plotius, qui primus Romae rhetoricam latine docuit, carus ob hanc spem illi

1. Q. Curtius, VIII, 5.
2. Athenaeus, III, p. 82 B.
3. De illo et reliquis cf. Suidam, s. v.
4. *Pro Archia*, X, 26.
5. *Pro Archia*, IX, 20. Cf. Suetonium, *De ill. rhet.*, 1.
6. *Pro Archia*, X, 23.
7. *Pro Archia*, IX, 19.
8. Sallustius, *Jug.*, 85; Plut., *Mar.*, 2.

rusticano viro cujus tunc arbitrio omnia gubernabantur[1]. Necnon Archias ea mente Cimbricas res attigisse videtur quo certius potentem virum sibi conciliaret; mox tamen, postquam Marii fortuna turbare coepit, poeta, ut periculorum, ita etiam promissorum est oblitus. Postea M. Cicero, ab eodem Archia ad poetica studia informatus et qui Marium, ut municipalem suum, nimium adamabat, ad idem argumentum se applicavit longiusque carmen condidit quod *Marius* inscribebatur. In his libris, ut ipse fatetur[2], magis ad delectationem quam ad veritatem accommodatis, amplius curriculum quam Archias percurrerat; nempe et de pueritia Marii et de Arpinatium quercu familiari mentionem injecerat, et fugam ejus in Africam post primum bellum civile descripserat[3]. Ipsum poema, quanquam ab imperatore Gordiano quodammodo renovatum [4], interiit, spesque fefellit Q. Scaevolae qui de eo praedixerat :

Canescet seclis innumerabilibus [5].

Unum superest longiusculum fragmentum [6], ubi in Homeri modum describitur augurium aquilae serpentem interficientis, quo sibi victoriam portendi Marius intelligit. Haec ex Archiae poemate fluxisse non temere aliquis conjiciat; nam qui Arati Φαινόμενα latine vertit, potuit etiam Archiae Κιμβρικά imitari. Sed qualibus ornamentis poetarum inventio recentem illam materiam eamdemque historicam variare ausa sit, intelligimus ex fragmento Dosithei cujusdam, historici sibi visi, qui narravit Marium, cum adversus Cimbros bellum gereret, somno admonitum, filiam suam, Calpurniam nomine, diis mactavisse [7].

1. *Pro Archia*, IX, 20.
2. *De legibus*, I, 1. Carmen absolutum fuit ante annum 709 U. C. Vide *Ad Att.*, XII, 49.
3. Fr. apud Isidorum, XIX, I, 20 : *Tunc se fluctigero tradit mandatque paroni.* Cf. Plut., *Mar.*, 40.
4. *Vita Gordiani*, III, 2.
5. *De leg.*, loc. cit. Fuit hic Scaevola familiaris Q. Ciceronis atque etiam graeca epigrammata condidit, quorum unum servavit *Anth. Pal.*, IX, 217.
6. Cic., *De divin.*, I, XLVIII, 106.
7. Ps. Plut., *Parall. min.*, 20 (vide etiam Clem. Alex., *Protrept.*, 3, p. 12,

XIV. Ut olim magister discipulo, ita sero magistro discipulus materiem carminis fecit. Nemo ignorat Ciceronem adeo fuisse laudum cupidum ut alienas non exspectaret, ipse suae existimationis fieret buccinator. Igitur res quas in consulatu suo honeste fecerat quater fusius narravit : primum, epistola, voluminis instar, quam ad Pompeium scripsit[1], dein peculiari commentario graeca lingua composito atque Isocrateis perfuso odoribus[2], mox carmine latino quod tres libros amplectebatur totumque Olympum in scenam adducebat[3]; postremo etiam latinum commentarium inchoavit, quod an perfecerit incertum[4]. Cum tamen se, suo quidem judicio, nimis verecunde de suis rebus scripsisse existimaret, incredibili obstinatione amicos urgebat ut latine, graece, oratione, versu, omni denique modo ipsum resque ipsius ornarent, neu dubitarent *plusculum amicitiae largiri quam concederet veritas.* Hoc satis superque demonstrant litterae ejus ad Atticum, ad Lucceium[5], ad Posidonium Rhodium missae, quorum primus revera commentariolum, sed attica, ut solebat, jejunitate condidit[6], Lucceius promissis et cunctatione Ciceronem fefellit, Rhodius comiter negotium detrectavit[7]. Nec minus graeci carminis desiderio tenebatur ; cui, quoniam poetas in sua clientela positos, Chilium[8], M. Tullium Lauream[9], impares ducebat, ad Archiam confugit quem recens editum carmen in honorem L. Luculli insignem fecerat : *laudari enim* (ut Naevius ait) *a laudato viro cupiebat.* Archias rem suscepit,

40, Sylb. ; Euseb., *Praep. Evang.*, p. 157) = Müller-Didot, *Scriptores Alex. M.*, p. 156, fr. 3.

1. Cic., *Pro Sulla*, XXIV, 67 (cf. Schol. ad orat. *pro Plancio*, p. 270, Or.).
2. Cic., *Ad Att.*, I, XIX, 10 ; XX, 6 ; II, I, 1, Plut., *Caes.*, 8 ; *Crass.*, 13 ; Dio, XLVI, 21. Aliud prorsus opus erat 'Ἀνέκδοτα sive *Expositio consiliorum suorum* inscriptum, quod post mortem Ciceronis demum editum est.
3. *Ad Att.*, II, III, 3.
4. *Ad Att.*, I, XIX, 10.
5. *Ad fam.*, V, 12.
6. *Ad Att.*, I, XIX, 10. Confer Nepotem in *Attico*, XVIII, 6.
7. *Ad Att.*, II, I, 2.
8. *Ad Att.*, I, XII, 2; I, XVI, 15.
9. Plin., *Hist. nat.*, XXXI, 7. Hujus epigrammata graeca exstant in *Anth. Pal.*, VII, 17; 294 ; XII, 24.

inchoatam, ut diximus, Ciceroni ostendit : *quibus auditis* (ut ipsius verbis utar) *quod magna res ipsi et jucunda visa est, hunc ad perficiendum adhortatus est*[1]. Jam supra vidimus illo maxime officio Ciceronem commotum oravisse Archiae causam eumque imminenti periculo eripuisse; is, judicio absolutus, de promisso carmine jam non amplius cogitavit : scilicet gratia poetarum tam levis est quam ipsi. Ad cujus frustrationis solatium, videtur Atticus in suo Epirotico Amaltheo epigrammata graeca in honorem Ciceronis posuisse[2], Cicero latinum carmen, de quo modo mentionem fecimus, aggressus esse, *ne quod genus a se ipso laudis suae praetermitteretur*[3].

XV. Ultimi carminis ab Archia conditi nomen constat, argumentum in incerto est; de quo Cicero ad Atticum ita scribebat : *vereor ne Lucullis quoniam graecum poema condidit, nunc ad Caecilianam fabulam spectet*[4]. Caeciliana fabula, quo vocabulo Cicero, cavillationi, sicut solet, verborum indulgens, Caecilio comico alludit, nihil aliud esse potest, quod viri docti jamdudum agnoverunt, quam heroicum carmen in laudem Metelli alicujus scriptum ; quis tamen is fuerit ambigitur. Alii de Q. Metello Numidico cogitaverunt, alii de filio ejus Q. Pio, neque absurde utrique, quandoquidem ambo viri militarem gloriam consecuti sunt, ambo inter Archiae patronos recensentur[5], Pius praesertim adeo poeticae laudis avidus fuit *ut etiam Cordubae natis poetis, pingue quiddam sonantibus atque peregrinum, tamen aures suas dederet*[6]. Hic tamen in animo habendum est, non fuisse assuetum Archiae ut in mortuis viris laudandis operam oleumque consumeret : vivum Lucullum, vivos Marium et Ciceronem aut cecinit aut spe promissi carminis fefellit. Anno igitur U. C. 693 (quo

1. *Pro Archia*, XI, 28.
2. *Ad Att.*, I, xvi, 15 (scriptum mense Maio 693 U. C.).
3. *Ad Att.*, I, xix, 10 (scriptum id. Mart. 694).
4. *Ad Att.*, I, xvi, 15.
5. *Pro Archia*, III, 6; IV, 7.
6. *Pro Archia*, X, 26 (= Seneca, *Suas.*, VI, 27, Kiessling). Alio loco *Vaccaei oratores* a Cicerone irridentur (*Pro Plancio*, XXXIV, 84).

scripta est illa Ciceronis epistola) neque Numidici laudes sibi proponere debuit, anno jam tricesimo antea mortui[1], neque Pium, quem ante annum 690 decessisse certum est, quippe cui eo anno C. Caesar in pontificatu maximo successerit[2]. His itaque semotis, unus restat Q. Metellus Creticus, qui eo ipso anno quo Archiae causa orata est, invito Pompeio, de Cretensibus triumphavit; hic communibus studiis atque odiis Lucullo conjunctissimus fuit, hujus in honorem *Caecilianam fabulam* scriptam, vel saltem inchoatam fuisse, existimandum.

XVI. *Mithridaticum* carmen, quod solum ex majoribus Archiae operibus absolutum fuisse videtur, hisce verbis Cicero describit : *Mithridaticum bellum, magnum atque difficile, et in multa varietate terra marique versatum, totum ab hoc expressum est : qui libri non modo L. Lucullum... verum etiam populi romani nomen illustrant*[3]. Primum ibi annotandum est argumentum hujus carminis non fuisse *totum Mithridaticum bellum*, quod paucis intermissionibus per xxv annos duravit, sed tantummodo eam belli Mithridatici partem cui L. Lucullus praefuit, vel, ut rem accuratius definiam, res gestas ab ineunte anno U. C. 681 (quo Bithyniam Nicomedis morte vacuam Mithridates invasit) usque ad nobilem pugnam Tigranocertensem, prid. non. Octob. anno 685 consertam. Quae enim deinde secuta sunt, — expeditionem scilicet adversus Artaxata factam, militum seditiones, infelix Triarii apud Gaziura proelium, denique Lucullum ab exercitu suo plane destitutum — ea omnia, ut parum prospera, Archias omittere debuit; quod usitatum fuisse poetis Annales scribentibus testatur Ciceronis locus in oratione *Pro lege Manilia*, ubi potissimum de Triarii clade in hunc modum loquitur : *Sinite hoc loco, sicut poetae solent qui res Romanas scribunt, praeterire me nostram calamitatem*[4]. Ex his omnibus apparet

1. Cic., *De nat. deor.*, III, xxxiii, 81.
2. Dio, XXXVII, 37.
3. *Pro Archia*, IX, 21.
4. *Pro lege Manilia*, IX, 25.

Archiae carmen non tam Μιθριδατικά fuisse quam Λουκουλλικά, aut, ut ipse ait Cicero, *graecum poema Lucullis conditum*[1]; quod igitur Theophanes Mitylenaeus prosa oratione Pompeio praestitit, id eodem tempore Archias Antiochensis versibus fecit Lucullo. Ceterum et latine quosdam scripsisse in laudem Luculli ex Cicerone comperimus, sive carmina ea fuerint, sive historiae[2]; sed Archiae operi praeter cetera illud pretium addidit, quod poeta res a se ipso conspectas scripserat, quippe qui toti huic bello Luculliano, ut supra vidimus, in ipsa cohorte imperatoris interfuisset.

XVII. Jam ex illo quem supra attuli Ciceronis loco discimus carmen Archiae in plures libros fuisse divisum; hos quattuor fuisse numero, nec amplius, arbitror. Alexandrini enim epici, quorum morem Archias servavisse videtur, ipsi Aristotelis auctoritatem secuti[3], argumenta sua angustioribus finibus quam veteres incluserunt, in carminibus heroicis tetralogias tragicas, ut amplitudine, ita quadripertita divisione plerumque imitati : sic Apollonii Rhodii *Argonautica* quattuor libris continentur, quorum unusquisque magnitudine duos Homeri libros, vel unam Euripidis tragoediam, aequiparat. Hoc sibi exemplar Archiam proposuisse eo magis credam, quod fabula ab eo tractata in iisdem fere locis quam Argonautica gesta erat, necnon rerum gestarum quasi similitudo quaedam intercidebat : Mithridates enim a Cicerone aptissime cum Medea confertur, quippe qui aurum (sicut illa fratris sui membra) fugiens dissipaverit, quo melius retardaret persequentes[4]. Praeterea ex ipso carminis conspectu, quem legimus apud Ciceronem, intelligenti pauca numerus librorum ac rerum distributio satis elucent. Verba

1. *Ad Att.*, I, xvi, 15.
2. *Acad. prior.*, II, ii, 4 : *Sed quae populari gloria decorari in Lucullo debuerunt, ea fere sunt et graecis litteris celebrata et latinis.*
3. Aristot., *Poet.*, XXIV, 5 : δύνασθαι δεῖ συνορᾶσθαι τὴν ἀρχὴν καὶ τὸ τέλος. Εἴη δ' ἂν τοῦτο, εἰ τῶν μὲν ἀρχαίων ἐλάττους αἱ συστάσεις εἶεν, πρὸς δὲ τὸ πλῆθος τῶν τραγῳδιῶν τῶν εἰς μίαν ἀκρόασιν τιθεμένων παρήκοιεν.
4. *Pro lege Manilia*, IX, 22.

Ciceronis haec sunt[1] : *Populus romanus aperuit, Lucullo imperante, Pontum et regiis quondam opibus et ipsa natura egregie vallatum. Populi romani exercitus, eodem duce, non maxima manu, innumerabiles Armeniorum copias fudit. Populi romani laus est urbem amicissimam Cyzicenorum ejusdem consilio ex omni impetu regio atque e totius belli ore ac faucibus ereptam esse atque servatam. Nostra semper feretur et praedicabitur, L. Lucullo dimicante, cum interfectis ducibus depressa hostium classis et incredibilis apud Tenedum pugna illa navalis : nostra sunt tropaea, nostra monumenta, nostri triumphi.* His verbis, licet temporum ordinem parum servantibus, mihi persuasi argumentum totius Archiaci carminis ita exprimi ut singulis libris singulae sententiae respondeant. Primo igitur libro (quem Cicero tertio loco posuit) initium belli, fusus apud Calchedona exercitus Cottae summatim memorabatur, mox res romanae *Luculli consilio* restitutae, et urbs Cyzicenorum *e belli ore atque faucibus* erepta. Secundus liber totus erat in proeliis navalibus pingendis, altero apud Tenedum (vel potius Achaeorum portum[2]) ubi tredecim regias quinqueremes a Lucullo mersas comperimus, altero apud insulam Νέας, in quo *interfecti regii duces* et *depressa* fuit *hostium classis*. Tertio libro Ponticum regnum a Lucullo *apertum* et occupatum narrabatur, proelium apud Cabira, fuga Mithridatis, regiarum pellicum interitus, urbium denique Ponticarum expugnatio. Quartus ultimusque liber bellum Armeniacum continebat et maxime pugnam Tigranocertensem ubi Lucullus *non maxima manu*, scilicet xxiv cohortibus, *innumerabiles Armeniorum copias,* scilicet ccxxv millia hominum, a se fusas gloriabatur. Vides nunc quam lepide omnia concinant, quomodo unicuique libro proprium argumentum, circumscriptum ac sibi sufficiens, subjectum sit, quam feliciter denique in singulis libris locus et ornatio fabulae mutentur, quod permittebat hoc bellum, ut Cicero ait, *multa varietate terra marique versatum.*

1. *Pro Archia*, IX, 21.
2. Id proelium (Plut., *Luc.*, 12 ; Memnon, c. 42) distinguendum est ab alio in iisdem locis a Triario commisso, de quo vide Memn., 48.

XVIII. Jam verbum non amplius adderem, nisi Plutarchiana Luculli Vita diligenter perlecta mihi nova subsidia attulisset quibus instructus Archiae carmen melius cognoscerem. Quod nunc paucis, ultimum nec minimum munus, exponam. Rhetor Chaeronensis, in enarrandis Luculli gestis, cujus potissimum auctoris fidem secutus sit, jam nulla est inter doctos controversia : Sallustio velut duci se tradidit, quo alioquin certiorem factisve propiorem auctorem frustra quaesivisset. Hoc non modo testantur duo loci in quibus Plutarchus Sallustium nominatim affert [1], sed multo magis plura *Historiarum* fragmenta, a grammaticis servata, quae arctissimam sententiarum, immo verborum congruentiam cum Plutarchianis exhibent [2]. Nunc vero Sallustius, gravissimus rerum scriptor et Thucydideam fidem aemulatus [3], prodigia et mendacia quibus veteres historici plerumque res narratas aspergere solent, cum in *Catilina* et *Jugurtha,* tum in *Historiis* omnino vitavisse videtur. Contra Plutarchus in *Lucullo* adeo portentis, somniis, deorum praesentiis indulget ut vix aliud ejus scriptum talibus ornamentis aeque refertum sit. Statim enim ab initio belli, exercitus Luculli et Mithridatis jamjam conflicturos, non ducum prudentia, sed lapis igneus a caelo delapsus, fertur diremisse [4]. Mox Cyzicum obsidente Mithridate, bos nigra Proserpinae destinata, quae cum reliquis civium armentis in opposito littore alebatur, fretum solemni die tranavisse dicitur et sponte ad aras se percutiendam obtulisse [5]. Nec multo post, Aristagorae, civitatis scribae publico, dea per somnos visa est, dicens *adversus Ponticum tubicinem se Libycum tubicinem comparavisse*; quas verborum ambages postero die ingens procella explicavit, qua regiae machinae disjectae sunt. Iisdem diebus, Minerva sudore manans, lacero pallio, Iliensibus apparuit quasi recens ab auxilio Cyzicenis

1. Plut., *Luc.*, 11; 33.
2. Vide quae de his fusius disputavi in Appendice *Mithridatis Eupatoris.*
3. Vell. Pat., II, xxxvi, 2.
4. Plut., *Luc.*, 8.
5. Plut., *Luc.*, 10. Ex Plutarcho illud prodigium habet Porphyrius, *De ἀbstinentia,* I, 25.

lato. Post urbem obsidione liberatam, Lucullum in templo Veneris Iliacae dormientem dea increpuit, hostem in propinquo latere docens; illico monitus surrexit regiasque naves apud Achaeorum portum oppressit [1]; reliquam Mithridatis classem Diana Priapina, coorta tempestate, delevit, ut templum suum a Ponticis direptum ulcisceretur [2]. Quae sequuntur, usque ad regis versus Tigranem fugam, prodigiis carent, ornamentis tamen epicis eo magis scatent. Mox autem, Lucullo Sinopen obsidenti narratur quaedam forma in somnis apparuisse, monens Autolycum, fabulosum hujus urbis conditorem, cum eo loqui velle; postero die urbs capta est, simulacrum herois, quod defensores navibus imponere volebant, Lucullo in manus venit [3]. Postremo, cum Romani transitum Euphratis pararent, amnis recenti tempestate tumidus per noctem adeo decrevisse dicitur ut cavus sub auroram alveus cerneretur exercitusque sicco pede transiret; bos vero sacra, ex armento Dianae Persicae, ultro se Lucullo mactandam praebuit [4].

XIX. Haec omnia neque ab ipso Plutarcho ficta, neque a Sallustio tradita fuisse utriusque consuetudo satis demonstrat; nec magis ad reliquorum historicorum quemquam quos Plutarchus citat, Strabonem [5], Nepotem [6], Livium [7], ea referenda puto. Illorum enim Strabonem philosophica gravitas, Nepotem (quem portentosa *avidissime credidisse* non negaverim [8]) solita brevitas excludit; Livius sane mirabilium amator exstitit, ejusque in Annalibus Cyzicena prodigia a Plutarcho narrata locum obti-

1. Plut., *Luc.*, 12.
2. Plut., *Luc.*, 13.
3. Plut., *Luc.*, 23.
4. Plut., *Luc.*, 24. Rem non plane fictam (transitum dico) testantur Memnon, c. 56; Sall. fr., IV, 11 Kritz, quanquam similia de Alexandro Magno fabulabantur ejus coaevi (cf. Menandrum ap. Plut., *Alex.*, 17.)
5. Plut., *Luc.*, 28. In describendis Sinopes originibus certe Plutarchus Strabonem non secutus est, nam huic Autolycus comes fuit Jasonis (Strab., XII, III, 11), illi Herculis adversus Amazonas molientis.
6. Plut., *Luc.*, 43.
7. Plut., *Luc.*, 28 ; 31.
8. Plin., *Hist. nat.*, V, I, 4.

nuisse diserte testatur Obsequens, Livii expilator[1]. Quid tamen? Plutarchus, ut omnes consentiunt, Livium non magni fecit, vix pauca ex illo obiter excerpsisse videtur. Quare ambo auctores, Plutarchum et Livium dico, ex communi fonte sua potius hauserunt, quam alter alterum exscripsit, praesertim cum et ipse Livius prodigia magis crediderit quam finxerit. Etiam Appianus eumdem fontem, sive ex ipso hauriens, sive per Nicolaum Damascenum, interdum adhibuit, quippe qui duo prodigia Plutarchiana, alterum de Cyzicena bove, alterum de nocturna Autolyci specie fere iisdem verbis tradiderit[2]. Jam quis hic communis auctor fuerit, inter Luculli et Augusti tempora positus, videamus. Possit aliquis de Teucro Cyziceno, *Mithridaticorum* scriptore[3], cogitare; is enim, ut Cyzicenus et nugator, obsidionem patriae suae ejusmodi ornamentis decorare debuit, necnon superest ejus fragmentum, de origine urbis epiroticae Buthroti[4], ubi de bove fretum trajiciente aliquid narratur quod mirum in modum cum fabella Plutarchiana concinit; sed cum scriptoris aetas plane in incerto sit et alioquin parum notus fuerit, supersedeo de eo longius quaerere. Etiam Antiochus Ascalonita, Archiae in cohorte Luculli contubernalis, a Plutarcho semel laudatur; scilicet is in libro inscripto Περὶ θεῶν de proelio Tigranocertensi mentionem injecerat[5]; quem librum statim post pugnam edidisse vel scripsisse videtur, quoniam non ita multo post, in Syria agens, decessit[6]. Potuit sane Antiochus in tali commentario exempla quaedam deorum auxilium illustrantia dispergere; dimidiatus enim stoicus debuit, quod stoici credebant, ipse credere : *visa quaedam mitti a deo, velut ea quae in somniis videantur, quaeque oraculis, auspiciis, extis declarentur*[7]. Quis tamen putet tot tantasque fabulas, quas modo in

1. Obsequens, c. 60 (p. 133 Jahn).
2. Appian., *Mithrid.*, 75; 83.
3. Suidas : Τεῦκρος ὁ Κυζικηνὸς, ὁ γράψας... Μιθριδατικῶν Πράξεων βιβλία ε'.
4. Steph. Byz., s. v. Βουθρώτος; *Etym. Mag.*, p. 210. Eamdem historiam dedit scholiastes Turonensis ad Servii Comm. in *Aeneida*, III, 293 (p. 393, Thilo).
5. Plut., *Luc.*, 28.
6. Cic., *Acad. prior.*, II, xix, 61.
7. *Acad. prior.*, II, xv, 47. Cf. *De Divin.*, I, 3.

censum dedi, a gravi philosopho relatas, adeo excogitatas fuisse ? Unum igitur restat, ut ad poeticum aliquem librum recurramus, quem ejusmodi inventa non modo non dedecuerint, verum etiam decoraverint. Hunc graeco sermone, epico metro conscriptum fuisse testatur unus versus, felici quodam casu ex toto opere solus superstes, is scilicet quo apud Plutarchum Venus Lucullum Ilii dormientem alloquitur :

τί κνώσσεις, μεγάθυμε λέον; νέβροι δέ τοι ἐγγύς [1].

Jam vero cum graecum carmen de gestis Luculli nemo praeter Archiam, quod scimus, scripserit, apparet prodigia quae in Plutarchi *Lucullo* leguntur omnia ex Archiae nostri *Mithridaticis* originem traxisse.

XX. Nemo mirabitur Archiae carmen Plutarcho in manus venisse, qui meminerit quam sedulo poetas ille lectitaverit et commentatus sit, quanta pietate Ciceronem Ciceronisque amicos sit prosecutus. Si cui tamen offensionem moveat quod carmine, in gravi historia componenda, usus sit, atque Sallustianam fidem Archiacis miscuerit commentis, hunc recordari jubebo omnem Plutarchianarum *Vitarum* habitum et colorem, quas ad lectoris oblectamentum magis quam ad institutionem accommodavit ; recordari communem rhetorum consuetudinem, quibus historia, ut Quintilianus ait [2], nihil aliud unquam fuit quam *carmen solutum*. Sic ipse Lucianus, cum describeret Antiochi Soteris adversus Gallos celebrem pugnam, heroicum carmen Simonidis Magnetis pedestri sermone reddidisse videtur [3]. Archiam vero *variare rem prodigialiter unam* conatum, ut excusem, verbum non perdam ; recte enim, etsi inflatius, Petronianus ille Eumolpus de epicis carminibus in historico argumento positis ita censet : *Non res gestae versibus comprehendendae sunt* (*quod longe melius*

1. Plut., *Luc.*, 12 (unde Suidas, s. v. κνώσσω et Λούκουλλος ; *Anth. Pal.*, Didot, III, p. 515). Notabis solitam Archiae post tertium trochaeum divisionem.
2. *Inst. orat.*, X, I, 31.
3. Lucianus, *Zeuxis sive Antiochus*, 8 et 12. Cf. Suidam, s. v. Σιμωνίδης.

historici faciunt) ; sed per ambages deorumque ministeria et fabulosum sententiarum tormentum praecipitandus est liber spiritus, ut potius furentis animi vaticinatio appareat quam religiosae orationis sub testibus fides [1]. Neque ideo infitier vel in his paucis reliquiis quas Plutarchus servavit animadverti quamdam ingenii exilitatem, atque easdem machinas, rubigine quodammodo obductas, identidem adhiberi : scilicet sibi constabat Archias, necnon in epicis, sicut in epigrammatis, imitatorem se potius quam inventorem ostendit.

XXI. Ultimum superest ut animadvertam, in Plutarchi *Lucullo* quaedam inveniri quae, licet non proprie prodigiosa sint, tamen epicam speciem prae se ferant, ita ut vel his Archiae manum subesse non temere conjeceris. Talis est inprimis illa Luculli adumbratio [2], ex Iliade, ut videtur, expressa [3], solo adspectu et praesentia territos Romanos reficientis, instantem hostem a castris arcentis. Cui proximus accedit locus ubi Mithridatici exercitus terror ac fuga apud Cabira, vividissimis coloribus et historicam fidem interdum egressis, describitur [4] : ibi enim traditur Dorylaus, dux Mithridatis, propter purpuream vestem quam gerebat a militibus fuisse occisus, quem tamen Strabo, certissimus auctor et stirpe cognatus, confirmat ab ipso rege propter nefaria consilia supplicio affectum fuisse [5]. Tertius denique locus est ubi artem poetae aut agnosco, aut agnoscere mihi videor, scilicet narratio caedis regiarum pellicum apud Pharnaciam factae [6]. Quis enim praeter Bacchidem eunuchum (quem commentarios reliquisse nemo tradidit), quis audiverit novissima verba infelicis Monimae : Ὦ κατηράμενον ῥάκος, οὐδὲ πρὸς τοῦτό μοι χρήσιμον ἔσῃ ; in quibus etiam numerus orationis, aliquanto prosa modulatior,

1. Petron., *Satir.*, 118.
2. Plut., *Luc.*, 15.
3. *Il.*, XVII, 215 sq.
4. Plut., *Luc.*, 17.
5. Strab., XII, III, 33. Ne Mithridates quidem, si Memnoni credendum est, huic cladi interfuit.
6. Plut., *Luc.*, 18.

poeticum fontem arguit. Ergo, nisi prorsus hariolor, eximius ille noster tragoediarum scriptor, qui in *Mithridate* fabula Plutarchiana ad verbum expressit, non historicum, ut putabat, sed poetam poeta insciens interpretatus est.

XXII. Haec erant ferme quae de Archiae poetae vita ac scriptis memoranda habebam; quae nunc paucis ita colligam. Fuit vir bonus, nec tamen utilitatum suarum incuriosus, suavitate morum Graecus, levitate Syrus, et cui illud Horatianum arrisisset :

Principibus placuisse viris non ultima laus est.

Carminibus ejus magis ingenium ac novitas, quam facultas aut ars defuerunt : ubique extemporalem scriptorem deprehendas, ubique imitatorem, sive, in epigrammatis, Leonidae et Antipatri, sive, in heroicis, Homeri et Alexandrinorum vestigia premit. Ita rerum alienarum occupationi assuetus, ultimo loco civitatem romanam occupavit ; id illi Ciceronem defensorem, id mansuram famam, quam frustra ex scriptis speravisset, attulit. Adeo verum est hoc Plinianum [1] : *plerosque aliorum ingenio magis quam suo commendari* !

1. *Hist. nat.*, XXXIV, VIII, 57.

FINIS.

APPENDIX

IN QUA GENUINA ARCHIAE EPIGRAMMATA PLERUMQUE AD FIDEM CODICIS PALATINI CONTINENTUR

ΕΠΙΤΥΜΒΙΑ

I

[ΕΙΣ ΔΙΟΓΕΝΗ]

Ἀΐδος ὦ νεκυηγὲ, κεχαρμένε δάκρυσι πάντων,
ὃς βαθὺ πορθμεύεις τοῦτ' Ἀχέροντος ὕδωρ,
εἰ καί σοι βέβριθεν ὑπ' εἰδώλοισι καμόντων
ὁλκὰς, μὴ προλίπῃς Διογένη με κύνα.
Ὄλπην καὶ σκίπωνα φέρω, καὶ διπλόον εἷμα,
καὶ πήρην, καὶ σοὶ ναυτιλίης ὀβόλον·
καὶ ζωὸς τάδε μοῦνον, ἃ καὶ νέκυς ὧδε κομίζω,
εἶχον· ὑπ' ἠελίου δ' οὔ τι λέλοιπα φάει.

Notae criticae. *Anth. Pal.*, VII, 68. Lemma : εἰς τὸν αὐτὸν Διογένην.

Explicatio. Epigramma expressum fere ad verbum ex *Anth. Pal.*, VII, 67 (Leonidae Tarentini).

II

[ΕΙΣ ΚΙΣΣΑΝ]

Ἁ πάρος ἀντίφθογγον ἀποκλάγξασα νομεῦσι
πολλάκι καὶ δρυτόμοις κίσσα καὶ ἰχθυβόλοις,

πολλάκι δὲ κράξασα πολύθροον, οἷά τις ἀχὼ,
κέρτομον ἀντῳδοῖς χείλεσιν ἁρμονίαν,
νῦν εἰς γᾶν ἄγλωσσος ἀναύδητός τε πεσοῦσα
κεῖμαι, μιμητὰν ζᾶλον ἀνηναμένα.

N. C. *Anth. Pal.*, VII, 191 : εἰς κίσσαν τὸ ὄρνεον, διὰ τὸ εἶναι αὐτὸ ᾠδικόν. — V. 3. Codex et edd. κρέξασα (ab κρέκω). Correxi ex Suida, nam κράξασα (ab κράζω) sensus postulat.

Expl. Compares licet Statii in psittacum Atedii Melioris ineptias, *Silv.*, II, 4.

III

[ΕΙΣ ΤΕΤΤΙΓΑ]

Πρὶν μὲν ἐπὶ χλωροῖς ἐριθηλέος ἕρνεσι πεύκας
ἥμενος, ἢ σκιερᾶς ἀκροκόμου πίτυος,
ἔκρεκες εὐτάρσοιο δι' ἰξύος ἀχέτα μολπὰν
τέττιξ, οἰονόμοις τερπνότερον χέλυος.
Νῦν δέ σε, μυρμάκεσσιν ὑπ' εἰνοδίοισι δαμέντα,
Ἄϊδος ἀπροϊδὴς ἀμφεκάλυψε μυχός.
Εἰ δ' ἑάλως, συγγνωστὸν · ἐπεὶ καὶ κοίρανος ὕμνων
Μαιονίδας γρίφοις ἰχθυβόλων ἔθανεν.

N. C. *Anth. Pal.*, VII, 213 : εἰς τέττιγα ὑπὸ μυρμήκων ἀναιρεθέντα.

Expl. Cicadas defunctas luxerunt Anyte (*A. P.*, VII, 190, quod Plinius, XXXIV, 19, Erinnae tribuit), Meleager (*ib.*, 196), Nicias (*ib.*, 200), Pamphilus (*ib.*, 201), Marcus Argentarius (*ib.*, 364), etc., nemo autem, quoad scio, cicadam a formicis confectam. Ex Pamphili epigrammate Archias tamen nonnulla sumpsit. — V. 6-7. De Homero piscantium aenigmate capto, cf. Ps. Plutarchum, *Hes. et Hom. cert.*, p. 74 Did.; Alcaeum Messenium, *Anth. Pal.*, VII, 1; Pausaniam, X, XXIV, 2.

IV

[ΕΙΣ ΔΕΛΦΙΝΑ]

Οὐκέτι παφλάζοντα διαΐσσων βυθὸν ἅλμης,
δελφίς, πτοιήσεις εἰναλίων ἀγέλας,
οὐδὲ πολυτρήτοιο μέλος καλάμοιο χορεύων
ὑγρὸν ἀναρρίψεις ἅλμα παρὰ σκαφίσιν·
οὐδὲ σύ γ', ἀφρηστά, Νηρηΐδας, ὡς πρίν, ἀείρων
νώτοις πορθμεύσεις Τηθύος εἰς πέρατα.
Ἦ γὰρ ἴσον πρηῶνι Μαλείης, ὡς ἐκυχήθη,
κῦμα πολυψάμμους ὦσε σ' ἐπὶ ψαμάθους.

N. C. *Anth. Pal.*, VII, 214 : εἰς δελφῖνα ἐκβρασθέντα ὑπὸ τῆς θαλάσσης ἐν τῇ χέρσῳ. In Codice 3um et 4um distichon sedibus mutatis leguntur. — V. 8. Codex : ὦσεν ἐπί. — An forsitan scribendum πολυψαυστούς, collata Hesychii glossa : ψαυστά · ψαιστά, Ἀρχίας?

Expl. Epigramma expressum ex Anytes carmine, VII, 215; idem argumentum liberius tractavit Antipater Thessalonicensis, ib., 216. — V. 3. Plinius, IX, 8 : *delphinus... mulcetur symphoniae cantu et praecipue hydrauli sono.*

ΑΝΑΘΗΜΑΤΙΚΑ

V

[ΑΘΗΝΑι]

Αἱ τρισσαί, Σατύρη τε καὶ Ἡράκλεια καὶ Εὐφρώ,
θυγατέρες Ξούθου καὶ Μελίτης, Σάμιαι·
ἁ μέν, ἀραχναίοιο μίτου πολυδίνεα λάτριν,
ἄτρακτον, δολιχᾶς οὐκ ἄτερ ἀλακάτας·
ἁ δὲ πολυσπαθέων μελεδήμονα κερκίδα πέπλων
εὔθροον· ἁ τριτάτα δ' εἰροχαρῆ τάλαρον·

οἷς ἔσχον χερνῆτα βίον δηναιόν, Ἀθάνα
πότνια, ταῦθ' αἱ σαὶ σοὶ θέσαν ἐργάτιδες.

N. C. *Anth. Pal.*, VI, 39 : ἀνάθημα τῇ Ἀθηνᾷ παρὰ τριῶν ἀδελφῶν γυναικῶν.

Expl. Omnia, praeter nomina (quae ceterum potius meretrices decent), cepit Archias ex carmine Leonidae, *Anth. Pal.*, VI, 289, cui simillimum est aliud ejusdem, VI, 288, ita ut facile suspiceris alterum Leonidae, alterum potius Antipatro Sidonio esse tribuendum. Cur Samiae mulieres dialecto dorica utantur, non intelligo; in exemplare, quod Archias expressit, Cressae inducebantur.

VI

[ΑΦΡΟΔΙΤΗι]

Σάνδαλα ταῦτα Βίτιννα · πολυπλέκτου δὲ Φιλαινὶς
πορφύρεον χαίτας ῥύτορα κεκρύφαλον ·
ξανθὰ δ' Ἀντίκλεια νόθον κεύθουσαν ἄημα
ῥιπίδα, τὰν μαλερὸν θάλπος ἀμυνομέναν ·
λεπτὸν δ' Ἡράκλεια τόδε προκάλυμμα προσώπου,
τευχθὲν ἀραχναίῃς εἴκελον ἀρπεδόσιν ·
ἁ δὲ καλὸν σπείραμα περισφυρίοιο δράκοντος
οὔνομ' Ἀριστοτέλεω πατρὸς ἐνεγκαμένα ·
ἅλικες ἀγλαὰ δῶρα, γαμοστόλε, σοὶ τάδε, Κύπρι,
ὤπασαν, αἱ γυάλων Ναυκράτιδος ναέται.

N. C. *Anth. Pal.*, VI, 207 : εἰς τὸ αὐτό (sc. ἀνάθημα τῇ Ἀφροδίτῃ παρὰ γυναικῶν). — V. 1. Cod. πολυπλάγτου; conjecturam Brunckii et Toupii praetuli, quam confirmat praecedentis epigrammatis v. 3 : τὸν δὲ φιλοπλέκτοιο κόμας σφιγκτῆρα... — V. 3. Cod. : κεύθουσα νόημα. Corr. Toup. — V. 10. Forsitan αἰγιαλῶν (Wesseling, etc.).

Expl. Omnia, etiam nomina, debet praecedenti carmini Antipatri Sidonii, VI, 206. Simile est carmen Antipatri Thessalonicensis, VI, 208, ubi tamen non ipsa ornamenta meretriculae ponunt, sed tabulam Aristomenis cujusdam Strymonii (cf. Benndorf, *De Epig. quae ad artes spectant*, p. 50) ipsarum effigies exhibentem. Facile intelli-

gitur haec a meretricibus dedicari ad legitimos hymenaeos convolantibus, unde dicitur Venus γαμοστόλος. — V. 2. Hemistichium ῥύτορα κεκρύφαλον habes etiam in carmine anonymo, VI, 280. — V. 10. Cp. Herodotum, II, 135 : φιλέουσι δέ κως ἐν τῇ Ναυκράτι ἐπαφρόδιτοι γίνεσθαι αἱ ἑταῖραι. Apud Antipatrem Sidonium patria feminarum non indicatur.

VII

[ΠΡΙΗΠΩι]

Ταῦτα σαγηναίοιο λίνου δηναιὰ Πριήπῳ
  λείψανα καὶ κύρτους Φιντύλος ἐκρέμασεν,
καὶ γαμψὸν χαίτῃσιν ἐφ' ἱππείῃσι πεδηθὲν
  ἄγκιστρον, κρυφίην εἰναλίοισι πάγην,
καὶ δόνακα τριτάνυστον, ἀβάπτιστόν τε καθ' ὕδωρ
  φελλὸν, ἀεὶ κρυφίων σῆμα λαχόντα βόλων ·
οὐ γὰρ ἔτι στείβει ποσὶ χοιράδας, οὐδ' ἐπιαύει
  ἠϊόσιν, μογερῷ γήραϊ τειρόμενος.

N. C. *Anth. Pal.*, VI, 192 : ἀνάθημα τῷ Πριήπῳ παρὰ Φιντύλου.

Expl. Similes dedicationes sunt Leonidae (VI, 4), Philippi Thessalonicensis (VI, 5), utraque Mercurio, necnon Flacci (VI, 192), illa quidem Priapo, versibus autem hendecasyllabis scripta et, ut videtur, Archiacis temporibus serior. Archiae epigramma fere ad verbum cum carmine incerti auctoris (Antipatri?), VI, 23, congruit, quod vetustius credam, quoniam Mercurium, non Priapum, ibi invocat piscator. Displicet, apud Archiam, v. 4 et 6 repetitio κρυφίην... κρυφίων.

VIII

[ΠΑΝΙ]

1

Σοὶ τάδε, Πὰν σκοπιῆτα, παναίολα δῶρα σύναιμοι
  τρίζυγες ἐκ τρισσῆς θέντο λινοστασίης ·

δίκτυα μὲν Δᾶμις θηρῶν, Πίγρης δὲ πετηνῶν
λαιμοπέδας, Κλείτωρ δ' εἰναλίφοιτα λίνα·
ὧν τὸν μὲν καὶ ἐσαῦθις ἐν ἠέρι, τὸν δ' ἔτι θείης
εὔστοχον ἐν πόντῳ, τὸν δὲ κατὰ δρυόχους.

2

Ἀγραύλῳ τάδε Πανὶ βιαρκέος ἄλλος ἀπ' ἄλλης
αὔθαιμοι τρισσοὶ δῶρα λινοστασίης,
Πίγρης μὲν δειραχθὲς ἐόβροχον ἅμμα πετανῶν,
Δᾶμις δ' ὑλονόμων δίκτυα τετραπόδων,
ἄρκυν δ' εἰναλίων Κλείτωρ πόρεν· οἷς σὺ δι' αἴθρας
καὶ πελάγευς καὶ γᾶς εὔστοχα πέμπε λίνα.

3

Ταῦτά σοι ἔκ τ' ὀρέων, ἔκ τ' αἰθέρος, ἔκ τε θαλάσσας
τρεῖς γνωτοὶ τέχνας σύμβολα, Πάν, ἔθεσαν·
ταῦτα μὲν εἰναλίων Κλείτωρ λίνα, κεῖνα δὲ Πίγρης
οἰωνῶν, Δᾶμις τὰ τρίτα τετραπόδων·
οἷς ἅμα χερσαίησιν, ἅμ' ἠερίῃσιν ἐν ἄγραις,
Ἀγρεῦ, ἅμ' ἐν πλωταῖς, ὡς πρίν, ἀρωγὸς ἴθι.

4

Τρίζυγες, οὐρεσίοικε, κασίγνητοι τάδε τέχνας
ἄλλος ἀπ' ἀλλοίας σοὶ [λίνα], Πάν, ἔθεσαν,
καὶ τὰ μὲν ὀρνίθων Πίγρης, τὰ δὲ δίκτυα θηρῶν
Δᾶμις, ὁ δὲ Κλείτωρ εἰναλίων ἔπορεν·
τῶν ὁ μὲν ἐν ζυλόχοισιν, ὁ δ' ἠερίῃσιν ἐν ἄγραις
αἰέν, ὁ δ' ἐν πελάγει εὔστοχον ἄρχυν ἔχοι.

N. C. *Ad 1. Anth. Pal.*, VI, 16 : εἰς τὸ αὐτὸ Ἀρχίου· τῷ Πανὶ παρὰ τριῶν ἀδελφῶν ἁλιέων (*sic*). — *Ad 2.* VII, 179 : ἀνάθημα τῷ Πανὶ παρὰ τριῶν ἀδελφῶν θηρευτῶν. — *Ad 3.* VI, 180 : εἰς τὸ αὐτὸ τοῦ αὐτοῦ. — *Ad 4.* VI, 181 : εἰς τὸ αὐτὸ τοῦ αὐτοῦ. — V. 2. Cod. : σοὶ τάδε. *Correxi* (Cp. VI, 184). Brunck : γέρα, male.

Expl. Haec quattuor epigrammata thema variant jam a Leonida (VI, 13) et Antipatro Sidonio (VI, 14) tractatum.

ΕΠΙΔΕΙΚΤΙΚΑ

IX

ΕΙΣ ΤΟΝ ΚΑΛΥΔΩΝΙΟΝ ΣΥΝ

Χάλκεος, ἀλλ' ἄθρησον ὅσον θράσος ἄνυσε κάπρου
ὁ πλάστας, ἔμπνουν θῆρα τυπωσάμενος,
χαίτας αὐχενίους πεφρικότα, θηκτὸν ὀδόντα
βρύχοντα, γλήναις φρικτὸν ἰέντα σέλας,
ἀφρῷ χείλεα πάντα δεδευμένον · οὐκέτι θάμβος,
εἰ λογάδα στρατιὴν ὤλεσεν ἡμιθέων.

N. C. *Anth. Pal.*, XV, 51.

Expl. Aeneam apri Calydonii imaginem nusquam video celebrari, marmoreas multas. Obversabantur Archiae versus Hesiodi (*Scut.*, 388 sq.) et Homeri, *Il.*, XI, 416; XIII, 472, etc.; cf. etiam Philostratum, *Imag.*, I, 28, qui forsitan Archiam inspexit.

X

[ΕΙΣ ΗΡΑΚΛΕΑ ΛΕΟΝΤΟΦΟΝΟΝ]

Μηκέτι ταυροβόροιο βαρὺ βρύχημα λέοντος
πτήσσετε, ληϊνόμοι γειαρόται Νεμέης ·
ἦ γὰρ ὑφ' Ἡρακλῆος ἀριστάθλοιο δέδουπεν,
αὐχένα θηροφόνοις ἀγχόμενος παλάμαις.
Ποίμνας ἐξελάσασθε · πάλιν μυκηθμὸν ἀκούοι
Ἠχώ, ἐρημαίης ἐνναέτειρα νάπης.
Καὶ σύ, λεοντόχλαινε, πάλιν θωρήσσεο ῥινῷ,
Ἥρης πρηΰνων μισονόθοιο χόλον.

N. C. *Appendix Planudea* (Didot), 94 (ex libro IV *Anth. Plan.*) : εἰς Ἡρακλέα φονεύσαντα τὸν ἐν Νεμέᾳ λέοντα.

Expl. Epigramma, ut Benndorf conjecit (*op. cit.*, p. 70), forsitan

scriptum est, sicut sequens Damageti (*App. Plan.*, 95), in magnam statuam Herculis cum leone pugnantis quae Ovidii temporibus (Ovid., *Art. amat.*, I, 68) Romae erat, postea autem Byzantii (Nicet. Chon., *De signis Constant.*, p. 861, Bonn). Cum autem Damagetus aetate Philippi, Demetrii filii, Macedonum regis, floruerit, probabile est illam statuam ex graeca aliqua urbe Romam advectam fuisse. Ceterum similem effigiem exhibent plures nummi, quorum praestantissimus, Heracleae cusus (cf. Head, *Historia numorum*, p. 59), statuam exprimere videtur; potuit igitur hanc Archias, dum Heracleae morabatur, versibus describere. Idem argumentum fusius tractavit Theocritus, *Idyll.*, 25.

XI

[ΕΙΣ ΑΦΡΟΔΙΤΗΝ ΑΝΑΔΥΟΜΕΝΗΝ]

Αὐτὰν ἐκ πόντοιο τιθηνητῆρος Ἀπελλῆς
  τὰν Κύπριν γυμνὰν εἶδε λοχευομέναν,
καὶ τοίαν ἐτύπωσε, διάβροχον ὕδατος ἀφρῷ
  θλίβουσαν θαλεραῖς χερσὶν ἔτι πλόκαμον.
. . . .

N. C. *App. Plan.*, 179 (ex libro IV) : εἰς τὸ αὐτό.

Expl. In celeberrimam Apellis tabulam quam a Cois pro tributo acceptam Augustus dicavit in delubro patris Caesaris. Tritissimum thema epigrammatum conditoribus memorat Plinius (XXXV, 91) : *versibus graecis tali opere, dum laudatur, victo sed illustrato.* Supersunt epigrammata Leonidae (*App. Plan.*, 182), Antipatri (*ib.*, 178 = Ausonius, *Ep.*, 106), Democriti (*ib.*, 180). Archiae carmen ex Antipatri expressum est, sed videtur in fine mutilum esse, ubi solita comparatio cum Minerva et Junone desideratur.

XII

[ΕΙΣ ΑΙΑΝΤΑ ΤΕΛΑΜΩΝΙΟΝ]

Μοῦνος ἐναιρομένοισιν ὑπέρμαχος ἀσπίδα τείνας,
  νηυσὶ βαρὺν Τρώων, Αἶαν, ἔμεινας ἄρην·

οὐδὲ σε χερμαδίων ὦσεν κτύπος, οὐ νέφος ἰῶν,
οὐ πῦρ, οὐ δοράτων, οὐ ξιφέων πάταγος ·
ἀλλ' αὔτως προβλής τε καὶ ἔμπεδος, ὥς τις ἐρίπνα,
ἱδρυθεὶς, ἔτλης λαίλαπα δυσμενέων.
Εἰ δέ σε μὴ τεύχεσσιν Ἀχιλλέος ὥπλισεν Ἑλλὰς,
ἄξιον ἀντ' ἀρετᾶς ὅπλα πoροῦσα γέρας,
Μοιράων βουλῇσι τάδ' ἤμπλακεν, ὡς ἂν ὑπ' ἐχθρῶν
μή τινος, ἀλλὰ σὺ σῇ πότμον ἕλῃς παλάμῃ.

N. C. *Anth. Pal.*, VII, 147 : εἰς τὸν αὐτὸν Αἴαντα τὸν Τελαμῶνος, τὸν ἔξοχον Ἑλλήνων ἀρχόν · ἀλλὰ διὰ κενὴν δόξαν μαινόμενος ἑαυτὸν ἀπέσφαξεν. — V. 2. Codex : αἰὲν. Deinde conjecit Lobeck ἄμυνας.

Expl. In Anthologia legitur inter sepulcralia (ubi continua in Ajacem epitaphia habes VII, 145-152), sed videtur potius ad Timomachi Ajacem esse referendum, de quo etiam agitur *App. Plan.*, 83. Celeberrima tabula Archiae temporibus Cyzici servabatur. Ipsum epigramma multa debet Homero, *Il.*, XV, 415, 618; XVII, 132.

XIII

[ΕΙΣ ΠΡΙΗΠΟΝ ΤΟΝ ΕΝ ΒΟΣΠΟΡΩι]

Τοῦδέ με κυμοπλῆγος ἐπὶ σκοπέλοιο Πρίηπον
ναῦται Θρηϊκίου θέντο πόρου φύλακα,
πολλάκις οἷς ἤϊξα ταχὺς καλέουσιν ἀρωγὸς,
ξεῖνε, κατὰ πρύμνης ἡδὺν ἄγων Ζέφυρον.
Τοὔνεκεν οὔτ' ἄκνισον, ὅπερ θέμις, οὔτ' ἐπιδευῆ
εἴαρος ἀθρήσεις βωμὸν ἐμὸν στεφάνων,
ἀλλ' αἰεὶ θυόεντα καὶ ἔμπυρον · οὐδ' ἑκατόμβη
τόσσον ὅσον τιμὴ δαίμοσιν ἁνδάνεται.

N. C. *Anth. Pal.*, X, 7.

Expl. In Anthologia hoc et sequens epigramma inter *exhortatoria* (προτρεπτικά) ponuntur.

XIV

[ΕΙΣ ΠΡΙΗΠΟΝ ΤΙΝΑ ΑΤΕΧΝΟΝ]

Βαιὸς ἰδεῖν ὁ Πρίηπος ἐπαιγιαλίτιδα ναίω
χηλήν, αἰθυίαις οὔποτ' ἐναντίβιος,
φοξός, ἄπους, οἷόν κεν ἐρημαίῃσιν ἐπ' ἀκταῖς
ξέσσειαν μογερῶν υἱέες ἰχθυβόλων.
'Αλλ' ἤν τις γριπεύς με βοηθόον ἢ καλαμευτὴς
φωνήσῃ, πνοιῆς ἵεμαι ὀξύτερος.
Λεύσσω καὶ τὰ θέοντα καθ' ὕδατος · ἦ γὰρ ἀπ' ἔργων
δαίμονες, οὐ μορφᾶς, γνωστὸν ἔχουσι τύπον.

N. C. *Anth. Pal.*, X, 8. — V. 2. Codex : αἰθυίας οὔποτε ἀντιβίας. Corr. Bothe et Dübner.

XV

ΕΙΣ ΒΟΑΣ ΕΝ ΔΑΚΤΥΛΙΩι

Τὰς βοῦς καὶ τὸν ἴασπιν ἰδὼν περὶ χειρὶ δοκήσεις
τὰς μὲν ἀναπνείειν, τὸν δὲ χλοηκομέειν.

N. C. *Anth. Pal.*, IX, 750.

Expl. Epigramma expressum ex longiore Platonis, IX, 747, quod etiam imitatus est Polemo, IX, 746.

XVI

ΕΙΣ ΚΟΣΣΥΦΟΝ ΔΙΚΤΥΟΝ ΥΠΑΛΥΞΑΝΤΑ

Αὐταῖς σὺν κίχλαισιν ὑπὲρ φραγμοῖο διωχθεὶς
κόσσυφος ἠερίης κόλπον ἔδυ νεφέλης.
Καὶ τὰς μὲν συνοχηδὸν ἀνέκδρομος ὤχμασε θώμιγξ,

τὸν δὲ μόνον πλεκτῶν αὖθι μεθῆκε λίνων.
Ἱρὸν ἀοιδοπόλων ἔτυμον γένος. Ἦ ἄρα πολλὴν
καὶ κωφαὶ πτανῶν φροντίδ' ἔχουσι πάγαι.

N. C. *Anth. Pal.*, IX, 343.

Expl. Expressum ex Antipatri Sidonii carmine (IX, 76), quod deinde Paulus Silentiarius imitatus est (IX, 396). Haec tria epigrammata cum in Anthologia inter demonstrativa ponantur, videntur non ad ipsam rem quae ibi narratur, sed potius ad tabulam quamdam, hujusmodi fabulam illustrantem, spectare, quanquam et alibi in Anthologia apologi elegiaco metro scripti leguntur (IX, 10 sq.).

ΕΡΩΤΙΚΑ

XVII

ΕΙΣ ΕΡΩΤΑ

Νήπι' Ἔρως, πορθεῖς μὲ τὸ κρήγυον· εἷς μὲ κένωσον
πᾶν σὺ βέλος, λοιπὴν μηκέτ' ἀφεὶς γλυφίδα,
ὡς ἂν μοῦνον ἕλοις ἰοῖς ἐμὲ, καί τινα χρήζων
ἄλλον ὀϊστεῦσαι, μηκέτ' ἔχοις ἀκίδα.

N. C. *Anth. Pal.*, V, 58.

Expl. Sententiam, non verba, deprompsit ex ultimo disticho carminis Meleagrici, V, 198.

V

[ΕΙΣ ΕΡΩΤΑ]

Φεύγειν δεῖ τὸν Ἔρωτα; κενὸς πόνος· οὐ γὰρ ἀλύξω
πεζὸς ὑπὸ πτηνοῦ πυκνὰ διωκόμενος.

N. C. *Anth. Pal.*, V, 59 : ὁμοίως.

Expl. Habet quamdam similitudinem cum carmine Meleagri, *App. Plan.*, 213.

INDEX LIBRORUM ET CAPITUM

Vidi ac perlegi,

Lutetiae Parisiorum, in Sorbona,
a. d. IV kal. april. anni MDCCCLXXXX
Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi Decanus.

A. HIMLY.

Typis mandetur

Academiae Parisiensis Rector.

GRÉARD.

ANDEGAVIS, E TYPIS BURDIN AC SOCIORUM, VIA DICTA GARNIER, 4.